# GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS MEDICI NOSTRA TEMPESTATE CLARISSIMI,


## Opuſcula Tria.

I. Tractatus de Vulneribus.
II. Expoſitio in lib. Hipp. de Vulneribus capitis.
III. Tractatus de Vulneribus oculorum, aliarumque partium corporis.

Quibus acceſſere Indices duo: prior Capitulorum, altero rerum & verborum maximè inſignium.

CVM PRIVILEGIO.






VENETIIS, *apud Paulum Meietum & Fratrem,*
M. D. LXIX.



# EXCELLENTISS. ATQVE DOCTISS. MEDICO, D. IOANNI ANDREAE à Cruce Veneto,

*Paulus Meietus bibliopola Patauinus, S.*





VM eram proximis diebus, Venetijs, cùm librum de Chirurgia à te inſcriptum; nunc ſub prælo, propediem autem opera D. Iordani Zileti viri integerrimi (qui quantum tibi tribuat, quamq; de te præclarè ſentiat, tu optimus es ipſe teſtis) edendum uidiſſem, uarijsq;, ac propemodũ infinitis figuris exornatum; non potui ſummoperè non admirari uirtutem tuam; quæ profectò non humili neque obſcuro loco latebit, ſed quaſi in ſpecula quadam excelſa atque illuſtri erit poſita, vnde & omnis poſteritas

longè meliùs (vt oẽs vno ore fatẽtur) quàm antehac (pace Medicorũ oĩum tùm veterũ, tùm recentiorũ, vel methodicorũ, vel practicantiũ dixerim) poterit adiuuare. Cùm itaq; ego verè perſpiciam, quantũ iudicio aſſequi poſſum, homines ad te accurrere debere, vel vt cõſilium, vel ẽt vt auxilium petant; idq; mihi ſępenumerò memoria repetẽti, ex officina noſtra publicaturo Gabrielis Falloppij viri noſtra tẽpeſtate de re medica benè meriti, Tractatũ de Vulnerib. atq; expoſitionem in librũ Hipp. de Vulneribus Capitis, nec non tractatũ illum, quẽ ipſe nuper de Vulneribus Oculorum, & aliarũ partiũ corporis, nunquã tamen anteà ab vllo (quod ſciã) editum, inſcribi voluit; tu in primis occurriſti, cuius nomini libelli iſti propter tãti viri auctoritatẽ, quẽ ſemper plurimi feciſti, dicandi forent: vt, vel ſummã animi mei in te obſeruãtiam ob tuas eximias virtutes, ſingularẽq; humanitatẽ tibi ſignificarẽt; vel ẽt, quoniã congruũ mihi visũ eſt, hoſce ſub illius nomine in lucẽ edẽdos, qui in huiuſmodi facultate principẽ locũ facilè obtinere videretur. Accipe igitur, Excell. atq; vndequaq; doctiſſ. Io. Andreas, hoc quicquid eſt munuſculi; & eo, quo ſoles, amore, lętoq; animo cõplectaris, atq; in cliẽtelam tuã ſuſcipias; illiusq; exiguitatẽ animi beneuoli, gloriæq; tuę ſtudioſi affectu compenſes. Vale. Patauij, ex officina noſtra, 1569.

# CAPITVM QVAE IN PRIMO LIBRO CONTINENTVR INDEX.




De

FINIS.

## CAPITVM TERTII LIBRI INDEX.



FINIS.




# GABRIELIS FALLOPPII MVTINENSIS MEDICI CLARISSIMI, TRACTATVS

# De Vulneribus.

## *Præfatio in qua tangitur artis huius nobilitas. Cap. I.*



EDICINAM (Auditores optimi) nobilisſimum Deorum inuentum eſſe, tota teſtatur antiquitas, atq; ad Apollinem referri, cuius in ore, Poetæ iſthęc verba concinnant, Inuentum Medicina meum &c. hæc vna, & eadem ars eſt, & ſemper fuit: Medici omnes in vnum ſcopum neruos intēderunt, vt hominum, ſ. ſanitatem tueantur, deperditam recuperando, pręſentem conſeruando. Verùm cùm non vna materia, neque vna ſit methodus, qua artem addiſcamus; ideò in plures formas uiſum eſt uariari, & plures ſortita eſt partes. Cæterùm cùm multi Medici didicerint, atque ſimul fecerint, uſu euenit, ut medicinam aliqua ex parte rationi ſubditam, aliqua ex parte empiricam, id eſt manibus, pharmacis varijs temporum occaſionibus inuenerint. Vltimò cùm duo ſint potisſimùm morborum genera, quibus corpus patitur; alterum extrinſecus adueniens, quod cauſas extra corporis compages habet, in hoc genere fractiones, & vulnera continentur. alterum intrinſecus, quod cauſas intra corpus habet, ueluti febres,

vlcera, tumores pręter naturam. Ad sananda hæc varię species ortæ sunt Medicorum. Aliqua ars uulneraria dicitur, qua uulnera sanantur tantùm. hos autem, qui morbos curant intimos Physicos appellare solent. sed reuera & qui uulnera sanant Physici nomen merentur: ideo malè sunt soli illi Physici dicti. Cùm ergo uulnerum curandorum artem uos hoc anno docturus sim, non possum contineri quin uos horter, ut in ipsa exerceamini, ad hocque ducet uos artis præstantia, mihi enim uidetur inter omnes Medicinæ partes primum sibi locum uendicasse. & ideo qui hominum uulnera curat, potest princeps Medicorũ appellari. quod difficile non uidetur, ut probem cùm multæ sint rationes. & primò. Genus humanum integrum uiuere non potest desinente ista; uideo multos morbos sine arte medica sanari, nullum uulnus alicuius momenti absq; Medico curatur. febres, tumores, ulcera, & multa alia opem spernũt quandoque medicam. Vocemus testes Rusticos. maior pars eorum laborantium febre medicos non adit; si feriatur, non ipsi tantùm, sed bos aut asinus Medicum continuò accersunt. Vocemus plures nationes, dimitto Turcas. Addo nobilissimum populum Romanum, qui cùm esset Medicis infestus L. Aemilio, & M. Libio Coss. hanc artem uulnerariam non aspernauit, etenim Arcagatùs fuit primus qui exercuit Medicinam Romæ. Ant. Gueuaræ tenet Antonium Musam tempore Cæsaris Augusti fuisse primum Medicum Romæ. Medici autem publicum stipendium erat ducentaquinquaginta sest. ex Glareano in lib. de Asse. Secundò pariter artis nobilitatem indicare potest eius certitudo, & (ut ita dicam) securitas. certa enim & tuta adeò est, ut rarò accidat, quòd uulnerarius imperitia sua homines necet; omnia nãque oculis subiecta habet, digitoque cætera tangit, reliqua genera morborum præsertim intrinseca ignorantur facilè à Medico, tanquàm ab oculorum acie aliena, & ideo circa illa committi potest error. Addamus tertiò: non est dubium artis illius partem, quę captu & tractatu facilior est cæteris nobiliorem esse. ista facillima est; non etenim multitudine medicamentorum, non simplicium atque compositorum mendicata undequaque supellectile in ea indigemus; quàmuis horum pleni sint libri. nam ita paucis gaudet remediis, ut multi limpida aqua sanent uulnera maxima cerebri, membranarum, intestinorum, &c. multi etiam puris linteaminibus, nonnulli uerbis simplicissimis: ex quo artis colligitur securitas, ut purissimis gaudeat medicamentis, quod facilitatem indicat. Verùm cùm infinita sint argumenta, quibus præstantiam artis probare possum, omnia

nia dimittam, hoc uno excepto. Si antiquitas præſtantiam indicat, quid antiquius medicina uulneraria? Conſulamus hiſtorias, & obſeruemus primos Medicos; proculdubio uno excepto Apolline fuit Aeſculapius factus Deus, quia homo homini Deus. Aeſculapius non febres, non tumores, non uertigines ſanauit, ſed quia curauit Hippolitum curru uulneratum, & diſtractum: incolumen fecit Androgeum Minois filium ab Athenienſibus plagis infixum. Prætereà ueniamus ad Machaonem filium eius, nonne Homerus eum multis hominibus præponit, quia ſapiebat, quia curabat uulnera? Nam Homer. Iliad. Λ. ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, ἰοῦς τ' ἐκτάμνειν, ἐπί τ' ἤπια φάρμακα πάσσειν. id eſt, Eſt Medicus unus uir multis anteferendus, Tela excindendique & lenia pharmaca gnarus, Plagæ inflig. &c. Deſcēdamus ad Eribotem primum medicum laudatum ab Orpheo, eò quòd uulnerarius Oilei filium ſanauit. Cùm ergo antiquiores Medicos uulnerarios uideam, colligo partem hanc fuiſſe ſatis laudatam, atque præ cæteris partibus celebratam. Cùm igitur nobilis ſit neceſſitate, certitudine, facilitate, ſinceritate & ratione antiquitatis, cur non erubeſcunt hi, qui eam dicunt aſpernandam eſſe? Qui hanc floccipendunt indigni ſunt Medico nomine. Iam docebo uos rationem, qua uulnera ſanetis, ac eam tanto libentiùs aggredior, quanto uobis incredibili emolumento, incomparabilique honori futuram cenſeo.

### *De uariis ſcriptoribus, & quos ſequi debemus.*
### *Cap. II.*



Vàmplurimi ſunt ueteres ſcriptores, inter quos primum locum Hippoc. iure obtinet, qui peculiarem ſcripſit de uulneribus librum, in quo per maiorem partem tradit quæ pertinent ad uulnera: hunc interpretatus eſt Vidus Vidius Florentinus lector Piſanus. quod libēter ego facerem, ſi integer eſſet liber, ſed non habemus integrum Hipp. librum, multa enim deſunt neceſſaria. Scripſit Celſus de hac materia, & doctiſsimè, ſed non eſt proponendus, quoniam miſcet uulnera, tumores & fracturas. confundit iſthæc omnia. Galenus (mea ſententia) integerrimè rem hanc perfecit, nam totum negotium explicauit 3.4.5. & 6. lib. Methodi medendi. & præter actiones chirurgicas neſcio quis poſsit explicare explicatum à Gal. Tamen cùm longa ſit explicatio ipſius; eſt enim (ut ſcitis) abundans in elocutione natura ſua, & facilis in tractatione,

Hippocr.

Celſus.

Galenus.

aliquod uulnus sub hac non contentum, ego in aliorum definitionibus multò plura inueniam.

*De uulneris speciebus, & differentiis.*
*Cap. X.*




Icta est uulneris natura eadem semper existens, habet tamen aliquot differentias, quæ maximè curationem uariant: quare proponendę sunt uulnerum species, quę plurimæ à Recentioribus proponuntur: nos autem ad curationem tantùm attinentes proponemus ortas à causis, à morbo ipso, à parte affecta, à modo, & consequentibus. A`causa nulla uidetur oriri differentia, tamen dico, quòd quamuis causa procatarctica sit, tamē quia aliqua organa extrinseca inducunt malam qualitatem in uulneribus, & sunt uenenata; ut si gladius rubiginosus sit, uel limatus, curatio uarianda est. at nisi hęc adsint, non uariatur curatio: ideo dicimus uulnera alia uenenata esse, alia non: & per uenenum intelligimus omnem gladij infectionem: secundò succedit natura affectus, à qua oriuntur ueræ differentię ortę, uel à quantitate, uel à figura, uel à situ, uel ab ætate, de quibus loquebatur Gal. contra illos qui assignabāt inflammationem extrinsecus, & pro differentiis: sunt enim morbi per se consistentes, differentiæ autē per se non consistunt: magnitudinis ergo differentię etiam aliquid indicant in curatione. Habemus ergo uulnus magnum & paruum, profundum & superficiale: à figura rectum, obliquum, rotundum, &c. à situ uel sit per longum partis, uel per transuersum, uel per obliquum. Hęc enim uariant curationem: recta enim uulnera ligamus, transuersa consuimus: nam etsi in omnibus uulneribus indicetur agglutinatio, non tamen ob id tollitur uarietas curationis uulnerum, multa enim alia requiruntur: non enim solùm medicamentis curatur res, sed tractatione chirurgica: & hoc patet; quia solo uino & aqua uulnera sanantur. A tempore oriuntur differentiæ, quas neglexerunt Moderni, & non appellant uulnus, nisi in principio quando cruentum est; habet enim sua tempora uulnus, quę uariant curationem: quare uulnus aut est recens, aut antiquum, aut stans, aut declinans. Pars etiam affecta maximè est obseruanda: ipsa enim maximè uariat totam curationem. Vnde Gal. ad hoc tantùm respiciens, proponit differentias solutę unitatis tantùm à loco affecto: iam per uosmetipsos partes corporis & differentias

3. Meth.

tias

tias enumeretis. A' consequentibus differētiæ etiam oriuntur: aliqua enim consequuntur uulnera, & ipsa uariant. De primis ueris acciden tibus est cruoris fluxus, dolor & saniei decursus: omnibus uulneribus hæc habentibus cōuenit definitio uulneris. Hæc autem acciden tia sunt consideranda; quoniam aliqua uulnera etiam per tres dies emittunt sanguinem, aliqua non; & ex his curatio uariatur præcipuè circa sectionem uenæ. Ego uellem ut obseruetis hoc quòd chirurgi uestri sinant fluere maximam quantitatem sanguinis: ego enim testor semper sanatos fuisse eos, quibus adfui, & magna copia sanguinis effluxerit: & hoc maximi est momēti, nisi enim id fiat, uulnera recidiuant, aut succedunt crysmata, serpetesque miliares molestissimi: quare ego expressi manibus sanguinem, & copiosissimum sinere per misi. Aliqua etiam uulnera cum dolore sunt, aliqua non: aliqua humidissima, aliqua siccissima, quę differentię omnes uariant curationem. Attendendum ad consequentia impropria, ut ad ea quæ uulnera composita faciunt: compositi enim morbi maximè Medicos fatigant: quare notabitis uulnera composita cum inflammationibus, erisip. ædematibus, &c.

### *De causis uulnerum atque de signis.* *Cap. XI.*



4. Meth. 3. Vnt causæ, signa atque præsagia uulnerum: uideamus primò circa causas. Habemus Medicos antiquissimos qui maximè ipsas inspexere, tanquam indicantes curationem. Hi accusantur à Gal. & meritò: nam causæ obseruandę sunt tantùm duplici de causa, ut cognitionem præstent uulneris, aut, ut præmoneant nos de aliquo imminenti malo, uel bono quod possit succedere: an etiam instrumentum magnum sit, acutum, ac ponderosum, an uenenatum, nec ne. Causa igitur omnis uulneris extrinseca est, aut animata, aut inanimata: multùm enim differt uulnus à gladio factum, & à morsu aliquo animalis alicuius. Signa autem non inuestigantur: oculis enim uulnera cognoscimus, pro signo autem habemus læsionem actionis: habemus exeuntia, quæ signa sunt uulnerum oculorum.

## *De præsagio.* Cap. XII.



Erùm tertium caput additur, & est de præsagio: difficillimũ est hoc caput. Debetis ergo scire quid sit præsagium in uulneribus: nam futura nuntianda sunt, & ante tertium diem; quod profectò periculosum est: nam ars proponit septimum diem. Primò igitur uideamus quid præsagiendum, secundò qua ratione: duo sunt producenda ac pronuntiãda à Medico: alterum continet symptomata omnia uulneri contingentia usque in finem: de hoc non sis sollicitus; quoniã patebit hoc in curatione. Vltimum præsagium continet finem uulneris, mortem scilicet, aut uitam: sanitatem, aut non: & si citò, uel tardè, uel cum noxa partis ipsius, uel sine noxa ulla partis. Hæc igitur prædicenda sunt: prætereà an noxa futura sit circa temperiem, aut situm: & si æger non sanabitur, uidendum est an moriturus, an possit uiuere. Quo in casu aliqua obseruanda: horum fieri necessariò aliquot, aliquot casu, & contingenter superuenire: sciendum est enim quòd ratione successionis huius aliqua uulnera habent necessariò pro fine mortem, quæ lethalia & insanabilia dicuntur: aliqua saluberrima sunt; quæ necessariò sanantur, & ista pauca sunt, mitiaque: quædam non necessariò sanantur; sed semper afferunt noxam aliquam parti, & dicuntur malefica à nostris: contrà quędam, ut plurimùm: sed non necessariò mortem inferunt: & à Celso dicuntur periculosa: alia uulnera ex æquo se habent, & dicuntur grauia, & difficilia uulnera, quę bene tractata sanantur, secus minimè. Guido proponit signa horum sumpta primò à partibus affectis, secundò à morbo: sed hoc imperfectum est: quare ego quatuor propono capita: primò igitur partem obseruetis, secundò uulnus, tertiò habitum, quartò res non naturales, quæ possibilem atque necessariam sanitatem, mortemue inducunt. Circa primum caput obseruandum est organum, atque eius dignitas. Secundò eius substantia: tertiò temperies, quartò situs consideretur, quintò quantitas partis uulneratę numerus; ultimò conformatio atque usus, ac actio partis. In secundo capite obseruate magnitudinem, figuram, situm, symptomata consequentia, dolores, &c. ultimò alios morbos complicatos. In tertio cap. obseruate habitum totius corporis, & partium principalium: cachothymia enim mortẽ adfert. Habitus etiam singularum partium considerandus est: prætereà an in toto, uel in parte aliqua, sit aliqua infectio mala cum febri, aut morbus

Lethalia uulnera.

Malefica uulnera.

Lib. 5. cap. 26

Periculosa, grauia.

bus

bus Gallicus: deludit enim nos sæpè morbus Gallicus, & similes affe ctus. Præterea ętas est consideranda; nam uariat indicium: in quarto capite est uictus præsens & præteritus: nam qui inordinatè uiuũt rarò sanantur: omnia igitur ad uictum attinentia cõsideranda sunt. pro exemplo sit hoc: uulneretur pars nobilis, & magna, principium facultatis, cõtinuo in motu, à gladio uenenato, in habitu malo, impossibile est quin succedat mors. Sic igitur obseruate etiam alios casus: primùm si cor uulneretur, necessariò uulnus est lethale, nullũque uisum est cor uulneratum, quod non intulerit mortẽ, uel subitam, uel citam: hoc etiã colligitur ex partis præstantia, cor enim nobilissimũ est: substantia cordis dura hoc indicat, quæ glutinari nõ poterit. Prętereà cor est in cõtinuo motu; unde nunquã fiet cõsolidatio. Quartò obseruemus tẽperiẽ calidissimã, quare facilè potest inflãmari: unde necessariò mors succedit. Si autẽ uos addatis reliqua nõ est dubiũ quin vulnus lethale sit necessariò, & ideo Hippo. dicit, Omnes proponunt vulnera cordis lethalissima: succedit uena caua, cuius vulnera sunt lethalissima ratione usus: primò, quia continet totum sanguinẽ, & est illa cella vinaria, vnde euacuatur sanguis totus. Præterea substãtia est neruosa, nec potest solidari: prętereà à situ: nõ possumus imponere manũ, vnde non possumus supprimere sanguinem: quare necessariò moriuntur homines. Hoc dixit Gal. & Hipp. locis citatis: addatis arteriam aortam: quare in his mortem necessariam nuntiabitis. Cerebri vulnera lethalia proponuntur ab omnibus. Verùm in hoc est lis: nam præstantissimum est instrumentum: sed quò ad vitam, nobilius est cor, verùm quia non mouetur, frigidum est, molle, possumus colligere vulnus eius non esse lethale: ꝙ si lethale sit; est ob magnitudinẽ vulneris, & circa basim eius, vel ob additos morbos, vt inflãmationes &c. quare vulnus cerebri lethale est vtplurimùm vel ex ęquo lethalia vulnera eius sunt, & non lethalia: habemus enim Gal. testem plurimos sanatos esse vulneratos in cerebro vsque ad ventriculos: Guido exempla proponit, Carpus. Et ego habeo multa exẽpla. Vidi in Zingaro quodam Ferrariæ in maximo frigore, Pado glaciato resectam continuitatem cerebri ad instar oui anseris, in maxima omnium rerum in opia; tamen est sanatus: quare cerebrum instrumentum non est vitæ, nec est durum, nec in motu. Prætereà possumus manum apponere ad cerebrum: ergo nisi circa basim eius, in reliquis partibus homines vulnerati euadere possunt, licèt rarò. Sed Hipp. dicit, quòd homo vulneratus in cerebro moritur. Ad authoritatem hanc respondet Gal. & d. debere intelligi de maximo vulnere cere-

Cordis vulnera lethalia.

6. Aph. 18. & in lib. Epid.

Venæ cauæ, vulnera lethalia sunt.

Arteria aorta.

Cerebrum.

6. Aph. 18. & 8. 8 Vsu par. a principio

in lib. Epid. 6. Aph. 18.

compagatio naturalis. Si ergo unio est constitutio naturalis, solutio huius unitatis erit habitus præter naturã. si hoc est sequitur quòd ista solutio continui sit morbus ex Gal. passim. Sed quia morborum alij sunt simplices, alij compositi, alij communes, alij singulares (corpus enim humanum in partes similares & organicas diuiditur) simplicem morbum solemus appellare lædentem unam dispositionem naturalẽ; compositum, qui lædit plures dispositiones naturales, ut ea lesactio manus est morbus simplex, quoniam corrumpit tantùm temperiem & symmetriam frigiditatis. morbus compositus est ueluti inflammatio; quia ab ipsa corrumpuntur plures dispositiones naturales, ut quantitas & qualitas. at ab uno unum fit, cùm ergo plures dispositiones corrumpantur & ab uno, hoc non est ab uno inquantùm unum, ideo plures latent morbi sub hoc nomine inflammationis. Cognoscimus etiam morbos simplices ex læsione unius actionis, quoniam si lædit plures actiones affectio præter naturam maxima est, & composita. Videamus iam an solutio continui sit morbus simplex, uel compositus. Cùm unio continui sit unica affectio naturalis, ergo eius solutio simplex erit morbus. Medici omnes in hanc uenere sententiam, quòd solutio continui sit morbus partium similarium: nam & ipsæ etiam omnes soluuntur; sed cùm instrumenta adhuc isto uitio laborent, ideo colligimus solutionem continui communem esse morbum ambabus his partibus, & in hoc omnes Medici & Gal. etiam conuenere.

1. & 2. Meth.

Morbus simplex & compositus.

Solutio continui ẽ morbus compositus.

*An solutio unitatis sit morbus partium similarium. Probatur quòd non contra Gal & alios.* Cap. IIII.



Videamus igitur an hoc sit uerum. Gal. 2. Meth. & alibi dicebat morbum esse quid præter naturam, à quo primò læditur actio: quamuis aliqui accusent Gal. quoniam morbus lædit facultatem primò, non actionem, quoniam facultas intercedit. hoc non uidetur leue. sed quia facultas hæc non apparet, quoniam non est in actu sed in potentia, hac ratione cùm Medicus sit artifex sensatus, potest dicere morbum lædere actionem apparentem, non autem facultatem latentem, ideo rectè Gal. hic definiuit morbum (meo iudicio.) Supposita hac definitione morbi dico, quòd morbus partis alicuius est ille, ratione cuius læditur propria eius actio. Nam si læderetur in parti-

Morbus primò lædit facultatem.

bus similaribus, uerbi gratia, motus, cùm earum actio non sit motus, ideo morbus tollens hunc non dicetur proprius; quare morbus lædens actiones non proprias non est proprius. Carnis, exempli gratia, & cęterarum partium similarium propria actio est nutritio, reliquæ autem actiones sunt partium organicarum, quòd si aliqua sit dispositio præter naturam, quæ non lædet actionem dicitur accidens tantùm non morbus, ut uitis infecta colore aut liuido, aut nigro. His constitutis colligo solutionem continui non esse morbum partium similarium; quia non lædit earum propriam actionem, solutio enim continui non lædit nutritionem. Et mihi uidetur hęc ratio demonstrare. Probatur, quòd solutio continui non lædat nutritionem, quoniam partes solutę maximè nutriuntur, atque augentur & resarciuntur.

Obiectio. Sed, dicet quis, non fit bona nutritio, quoniam non æquè pura caro restituitur.

Solutio. Sciatis hoc esse falsum: nam in uulneribus restituitur eadem caro & eiusdem speciei, idem dico de porò osseo genito in fractura: imò gignitur maior quantitas carnis, quàm fieret absque uulnere.


Obiectio. Verùm aliquis dicet ex solutione continui lędi actionem partium similarium, quoniam sunt corpora continua, ergo debent pati, si diuiduntur contra suam naturam. patet, solutio cõtinui impedit nutritionem, quia secta uena non amplius nutritur pars, cui inseruit illa uena: pręterea si pungatur neruus, ad puncturam hanc solet insequi spasmus, dolor & intemperies, quibus introductis à corpore pungente impeditur nutritio.

Solutio. non tamẽ hoc fit à solutione continui primò & per se, sed per accidens, & per multa media. Ad rationem illam, quòd pars similaris corpus sit, dico quòd pars similaris, quatenus corpus non est nec similaris nec dissimilaris, sed similaris est, quia habet substantiam sibi undequaque omninò similem eádemque temperiem. Pariter organum hoc non est organum, quia corpus, sed quia hac figura, superficie, numero, & his actionibus, ac ista unitate donatur. Cùm igitur partis similaris essentialis & propria natura sit non ex unitate, ideo si hæc soluatur, unitas patitur, nõ tamen similaritas eius, ut ita dicam, propriaque eius natura. quare soluta unitas non est partium similarium morbus, sed instrumentalium, quarum primò actiones lædit, & hoc contra Gal. dictum sit uestri ingenij exercẽdi gratia, non quòd uelim hoc paradoxum supplantare.

Ratio. Secundò obseruate positionem omnium instrumentorum, & præsertim in instrumentis primi generis, ut est uena, arteria, ex natura ipsa si soluantur statim tollitur actio, scilicet retentio sanguinis: pariter soluto osse tollitur eius actio. idem dico de secundo ordine, & tertio instru-


instrumentorum. neque hoc indiget probatione, quòd soluta continuitas malè afficiat instrumenta.

### *Defenditur Gal. & alij.*
### *Cap. V.*



I quis autem quærat cur solutio hæc continui à Galeno & omnibus Medicis posita sit com munis partibus similaribus, & organicis? crediderim hoc esse, quia multę partes similares sunt, quæ organa sunt similaria: sed distinguendę sunt hę partes ratione usus, atque actionis, ut Gal. distinguit: & sic quinque erunt genera morborum, quibus affliguntur instrumenta, quatuor proposita à Gal. & ego addo quintum, quod commune positum est à Galeno: cùm à me ponatur proprium instrumentalium.

### *Species soluta unitatis ex Conciliatore.*
### *Cap. VI.*



Ed quoniam plurimæ sunt species solutæ unitatis, ideo hę omnes unà cum differentiis cognoscēdę sunt ut uulneris naturam assequi possimus. Multi hoc tractauerunt; sed Conciliator Differentia 18. diligentiùs hoc tractauit ex Auic. Enumerat autem 14. aut 15. species continuitatis solutę, quamuis Auic. addat quinque, quę sub illis contineri possunt. Ponit ergo Concil. quatuor fontes, unde oriantur; primus est à loco affecto, nam pars à parte uariatur; secundus à solutionis positione in parte & à situ; tertius à magnitudine solutę unitatis; quartus ab excremento refudante à soluta unitate. Quò ad primum locum à parte affecta continentur in eo, cutis, os, caro, uenę, arterię, nerui, articuli, panniculi, &c. In secundo loco hęc obseruat circa situm solutę unitatis, & primùm extrinsecus, uel est secundùm latus, uel secundū transuersum, uel secundùm partis longitudinem. & hęc omnia sunt necessariò obseruanda. In tertio obseruat an solutio continui magna, an parua sit, quartò considerantur excrementa: nam diuersa sunt solutę unitatis excrementa: ex his has eligit quatuordecim species. Demus primò solutionem continui in cute per longum paruam, non profundam. Hæc solutio continui dicitur scarificatio, & est prima species. Si au-

2. primi doct. prima c. 4.

A parte affecta locus.

tem hęc ſolutio ſit magna & per tranſuerſum dicitur excoriatio dum non ſit multùm profunda. Tertiò ſi in carnem fiat ſolutio, hæc dicitur uulnus, uel plaga. Si autem hæc ſolutio emittat multam ſaniem eſt ulcus, & non uulnus, & eſt quarta ſpecies. Quintò ſi in carne uel oſſe fiat ſolutio per latum, dicitur inciſio: ſi autem fiat per longum, eſt ſciſſura, & iſta eſt ſexta ſpecies. Septima ſi iſta magna ſit, & per longum, dicitur contuſio. Poſt has ſolutas continuitates proponitur in neruo inciſio, ſciſſura, contuſio. Si autem in muſculis cadat ſolutio per tranſuerſum, dicitur ſeparatio circa extrema capita, & ab Auic. inciſio: quòd ſi fiat per longum ſolutio, dicitur liquefactio, uel diſſolutio; quę uerba barbarè indidere, nec admittenda ſunt. Si autem in chorda, uel neruo fiat ſolutio, dicitur attritio: in uenis & arteriis inciſio & ſeparatio: per longum uerò dicitur ſciſſura: his Aui. addit perforationem, & artenem ſanguinis, quæ dicitur à Græcis aneuriſma; & eſt ſolutio cum abſceſſu: ſi autem ſolutio ſit in panniculis appellatur ab his ruptura, ut in diſruptione peritonæi. in articulis autem dicitur diſlocatiò. Tot ſunt ſpecies diſſolutionis continui cum Conciliatore, quod ego non penitus probo; quoniam Gal. aliter ſpecies ſolutę unitatis enumerat, qui ponit decem genera eius. Prima ſpecies eſt ulcus, ſecunda fractura, tertia uulnus, quarta rythma, uario modo transferunt: dicamus rupturam. quinta tlaſma, id eſt contuſio, ſexta ſpaſma, quod transferri poteſt conuulſum, non conuulſio, quæ ſpaſmus dicitur à Gal. qui accuſatur in hoc; ſed immeritò. ſeptima apoſtema diuulſum: octaua anaſtomoſis hiatus dicatur à me ſi placet. nona eſt inſultus, uel diſſultus: ultima eſt eroſio.

1 3. & 4. & 6. Meth. cap. 1. in lib. de diff. morb. c. 11.

## *Declarat dictas ſpecies à Gal. propoſitas Defendit Galenum.* *Cap. VII.*




Olutæ continuitatis decem ſpecies ex Gal. propoſui, quæ primò ſunt à me explicandæ. Secundò oſtendam, quòd has confundit, tertiò quòd nulli methodo hęret, & ego addam omnes ſpecies: prima ſpecies dicitur ulcus à Gal. quæ ſolutio eſt continui in parte carnoſa: dicitur autem ulcus, quia diſtrahuntur partes diſſolutæ in oppoſita. Catagma erat ſecunda ſpecies, ſolùta unitas in oſſe & fractura. Tertia uulnus: ſoluta unitas in parte carnoſa cum perfectione tamen: & ſub uulnere hoc cōtinetur etiam punctura; quarta eſt rythma, quæ ſolutio eſt in muſculis, neruoſis

3. Meth. 1.

parti-

partibus & uenis,& ruptura dicitur. Addatis contusionem, quæ est musculorum uel uasorum solutio: addatis spasma,id est conuulsium, quod solutam unitatem significat in neruo: apospasma autem est solutio ligamentorum, ictus autem est solutio extremorum uasorum, ac suorum ligamentorum, ac dissolutus est dissolutio in tortura uasorum,qui texuntur uariis filis. ultima est erosio,quæ est genus morbi mixti ex solutione ac amißione substantiæ, tamen est dissolutio, & est quasi propria uenarum. His rationibus Gale. explicat species solutionis continui,ita tamen,ut hanc rem confundat: nam 4. Met. 2.hęc omnia confundit: nam dicit uulnus esse solutionem in musculo,uena,arteria,& neruo, quare uariat. Secundò dicebat rupturam esse in uasis ac musculis, deinde dicebat esse solutionem in neruis: tertiò dicebat spasma esse in neruis, at in locis his dicit esse in parte carnosa. Addatis de apospasmate, quod dicit esse solutionem in omni organo. quare confundit hæc omnia. Hippocr.etiã uariat: nam appellat contusionem & rupturam in oßibus: uulnus oßi & cerebro ascribit, unde maxima arguitur difficultas. Hic non accusandus Gal.non enim uerba curat: sed secutus est sententiam Medicorum aliorum. Res enim semper maximè affectauit: unde sæpè neglexit enumerationem aliorum. Hoc autem ostendit 6.Meth.cap.1. ubi subdit uoces curãdas non esse his qui rerum cognitionem uenantur; & ideo non curat uoces,nec de his sollicitus est. Prętereà alio modo possunt addi differentiæ solutę unitatis: nam istę à Gal. propositę assumuntur à parte ipsa; tamen differentiæ morborum à multis aliis accipiuntur, quas Gal.omisit; nec accusandus, quia semper propositum scopum ante oculos habens, qui erat docere numerum curandorum,& cùm ad hunc scopum conducant differentiæ à parte affecta, ideo ab illa tantùm sumpsit occasionem diuidendę solutæ unitatis,non tollitur tamen quin & ambiguitas sit tollenda, & omnes species proponendæ sint solutæ unitatis.

*De speciebus solutæ unitatis ex inuentione propria. Cap. VIII.*



PRimò igitur ea proponenda sunt, quæ necessaria sunt ad uniuscuiusque morbi contemplationem. Et primum est causa morbi, secundum morbus, tertium pars affecta, quartum modus morbi, quintum accidentia morbum consequentia. Hæc igitur sunt semper ante oculos habenda; ex his enim capiam omnes species. Dico igitur, quòd cùm aliquando fiat solutio continui

tinui ab extrinſeco aliquo corpore afficiente; aliquando ab intrinſe co: hoc multùm differt: facit enim non ſolùm nomine, ſed curatione differentiam; nam cutis ſoluta gladio, & à fluxione acri, non eodem modo curatur. Per corpus autem extrinſecum intelligo corpus eſſe contentum extra ſuperficiem partis affectę tum internam, tum externam; nam, ſi quis deuorans uitrum patiatur uulnus in internis, illud corpus extrinſecum eſt, quoniam extra ſuperficiem eſt inteſtinorum. Nota ergo, quòd ſolutio non poteſt fieri, niſi per lineam, aut ſuperficiem, aut punctum: cùm igitur ſoluatur pars per lineam, aut per ſuperficiem, à corpore extrinſeco dicitur uulnus: nec à parte corporis oritur aliqua differentia, ſed ſemper eſt uulnus, & eſt prima ſpecies ſolutæ unitatis, quę dicitur plaga & ictus & inci ſio; ſed uocabo ego uulnus ſemper dum fiat cęſim ab inſtrumento, ſcilicet cedente: ſed uocatur ab Hippocr. aliis pluribus nominibus. Notandum tamen, quòd hoc uulnus diuiditur; quia quãdoque facta eſt ſeparatio ſine profunditate, quãdoque cum profunditate, in qua remaneat teli ſedes, & dicitur hoc propriè uulnus: niſi autem ſit pro funditas uocatur ſcarificatio, quæ non eſt tantùm in cute; ſed in om nibus etiam aliis partibus, quoniam ſcarificatio eſt ſolutio ſuperficiei tenuis tantùm facta. Quędam uerò ſolutio unitatis adeò manifeſta eſt, ut oculis ſubiiciatur, quędam ſenſibus rectè percipi non poteſt. Exemplo patet: fit contuſio in aliqua parte corporis; illa ſoluta eſt, & non habet partes compaginatas, & omnes Doctores conſen tiunt ſolutionem eſſe; ſed oculis non patet: in parte tumida adeſt ſolutio continui diſsipati tumore, & non patet ad ſenſum: pariter quando rareſcit textura uenarum emanat ſanguis, & ſolutũ eſt continuum, ſed non patet. Itaque quædam ſolutio eſt nota ſenſui, quædam uerò minimè: ſed ratione tantùm contemplabilis conſequimur. Addatis ſecundò, quædam ſoluta unitas habet ſedem inſe inſtrumenti ſeparantis, quædam non: quod in ſumma eſt, ſcarificatio dicitur: ſi autem fiat, ut hæc ſubſtantia diuidatur extrinſe co inſtrumento, remaneat inſtrumenti ſedes, & hęc ſit momentanea, punctura uocatur, de qua Gal. 6. Meth. 1. & 3. Si uerò ab extrinſeco cor pore ſoluatur unio, & illa ad ſenſum non pateat, fit una ſolutio, quæ flaſma, uel flaxis dicitur ab Hippoc. & Gal. à noſtris colliſio, uel con tuſio; quia non remanet inſtrumenti ſoluentis ſedes. Si quis pugno contundat oculos, ſoluit continuitatem extrinſeco inſtrumento: & præterea non relinquitur pugni ueſtigium, nec baculi, ſed tãtùm ſub ſtantia colliſa diſsipatur, quamuis non pateat ad ſenſum. Notandum

dum tamen quòd aliquando solet accidere solutio manifesta cum non manifesta, & hoc est uulnus contusum dictum à Medicis, quoniã est sedes teli instrumenti,& cõtusio circa partes,ut tumor. Quartò aliquando accidit,ut eiusdem corporis partes manifestè separentur,aliquando immanifestè: ut distorta parte auelluntur partes simplices, ut quum cadimus ex alto: hoc fit in carceribus,quum suspenduntur brachiis, tunc musculi anteriores thoracis, & iuxta scapulas manentes dissoluuntur,& facta sunt uulnera & plagę maximę aliquã do etiam. Cùm igitur hoc modo dissoluantur partes aut neruosę, aut carnosæ,de necessitate oritur spasma à Gręcis & Hipp.apospasma uocatum,& ab Antiquis tilma: nos diuulsum uocamus ex Gal.3. lib.de Off.Med.om.tex.31.à diuulsione in oppositas partes. Addamus quintum genus quod est, quòd aliquando accidit, ut dissoluatur pars ab aliquo corpore intimo,& fiat dissolutio,quòd corpus motu uiolento impellat partes,& ita disrumpat,& separet, & soluat cõtinuum aliquando manifestè,aliquando immanifestè. Exemplum de intestinis & uenis. turgent uenę aliquãdo, & disrumpuntur: sæpè flatus copiosus lacerat: intestina plena casu & nixu lacerant peritonęũ, & ita fit talis species solutę unitatis: fit etiam ab humoribus; qui aliquando currentes per spacia media separant partes, & talis diuisio immanifesta est: prima manifesta est,quæ fit in uenis laceratis, quæ fit in cauitatibus tumorum, in abscessibus: abscessus est soluta continuitas per abscissionem partium: omnes istæ solutiones continui dicuntur rigma à Gręcis,id est ruptura, uel eruptio: si fuerit immanifesta facit rarefactionẽ uenæ,& diapedisis dicitur, id est insultus, quia quum rarefacta est substantia uenę ab humore impellente,tunc sensim humor defluit. Si erit in extremis cappillamentis uenarum, quędam solutio immanifesta ad oculum fiet: quando aliquis hęmorrodibus laborat uos uidebitis sanguinem copiosè effluentem; sed apertionem nullam,& hęc soluta continuitas sub ruptura ponitur; & anastomosis, id est oris apertio dicitur. Addatis ultimò, quòd ista soluta continuitas reperitur in omni genere tumorum: ista non habet locum nisi nomine communi in soluta continuitate, quia nunquàm per se reperitur: sed cum conformatione corrupta. Addamus sextò,quod est,quando soluitur continuitas cum ablatione partis: digitus patitur solutionem continui ita, ut extrema non coniungantur cum alia parte: ista ablatio substantiæ,aut à causa interna,aut ab externa fit; si à causa interna fit,semper fit à materia erodente,unde nascuntur ulcera, & hic est proprius locus ulceris: nam ulcus à uul-

nere

cerebri, & vesicæ. Præterea uideor aliam expositionem inuenisse meliorem ex a prorit. nam non possum dicere nisi secundum Gal. ꝙ intelligat de maximis vulneribus: quia ibi Hipp. se exponit quòd partes vulneratæ si inferant mortem; oportet, vt sint ualidissimè vulneratæ: nam natura partium, & numerus obseruandus est: quare Hipp. ibi intelligit: si pars ualidè vulnerata sit, perniciosa sunt vulnera. Addatis hepar; quod non habet omnia vulnera lethalia: Hepar. aliqua enim tantùm lethalia sunt necessariò, aliqua minimè: substantia hepatis facillimè regeneratur, nec tollitur sanguificatio ablata substantia eius dimidia: videmus enim homines viuere cum hepate obsesso à scyrrho; quare idem potest esse in vulnere: si enim pars vulneratur una, altera agit officium suum: sed difficultas est ratione partium, ex quibus constituitur, & ratione situs, nam non possumus imponere medicamenta, quare circa venam cauam inflicto vulnere est lethale necessariò, at secus minimè: habemus enim plurima testimonia. Sed aduertatis circa Gal. ubi affert sententiam eam de fibris hepatis ablatis. 6. Aph. 18. In diaphragmate, si pars carnosa vulnerata est diaphragma vulnera grauia sunt, nec possunt medicamenta apponi. Præterea est in motu, & circa thoracem fiunt maximæ inflãmationes, & faciiè. in parte neruosa necessaria est mors: semper enim succedit delirium, inflatio, quandoque conuulsio: nunquam medicamenta apponere possumus: hoc omnes testantur, & Gal. 5. Meth. cap. 9. De pulmonibus vidi inflatos sanatos: inflatos etiam mortuos, quare vulnera Pulmones pulmonis ex æquo se habent. Vnum à Celso notatur, quòd si vulnus sit in parte crassa uenæ arteriosæ, necessaria est mors propter continuum motum pulmonum; nec sanguis sisti potest. cognoscetis autem hoc ex natura sanguinis, quòd niger erit, quod erit signum sanguinis effusi ab hepate, & uena caua. Succedit medulla spinalis, cuius vulnera lethalia ponuntur ab Hipp. Vidi tamen aliquos sanatos; Medulla spinæ. sed, si vulnus sit in partibus superioribus, necessariò succedit mors, & conuulsio partium inferiorum. Vesicæ vulnera, maximè in parte Vesica. neruosa lethalia sunt, dummodò adsint aliæ conditiones, vidi enim vulneratum sclopeto: tertium igitur addo, quòd vulnus non sit in parte illa, in qua vesica ligatur à lateribus, nam per ligamentum illud concrescit caro, & fit sanitas, ut in milite, qui mingebat ex femore, quia uesica erat perforata in ea parte: quare hoc obseruetis. Lienis quoque habenda est ratio, qui, si vulneretur, non necessariò Lien. infert mortem. Quoniam præstantia membri, & principalitas non est in liene, nec est principium vllius facultatis: sed si vulneretur

lien circa vasa magna,& in profunditate, tunc necessariò infert mortem propter sanguinis copiam; non possumus enim imponere manum ad supprimendum. Scio aliquos fuisse huius sententiæ lienē integrum auferri posse,& sub Imperatore Turcarum id fieri referūt. Sed ego non disputo hoc; quoniam nunquam vidi. De vesica fellis dicendum quòd necessariò adfert lethum ob situm; quia non possumus mederi, secundò ob substantiam neruosam; quia conglutinari non potest: tertiò propter excrementa quæ continet, quæ corrumpunt interiora, & ideò eueniet mors necessaria; sed non momentanea; quoniam diuturno tempore durat: in renibus duo habemus: substantiam, & inuolucra neruorum: si ren vulneretur in substantia propria, etiam quòd sit magnum vulnus, dummodò vulnus non penetret, & tangat neruos, non est necessaria mors; vt plurimùm tamen succedit ex inflammatione: si contingat vulnus circa cauitatem, & profunditatem, tunc erit breuissimo tempore mors, nisi vulnus paruum sit. Ego vidi ren sinistrum pugione vulneratum sanari: quia concreuit parenchima sanguis ille crassus concreuit in carnem. De uentriculo habeo quod dicam: nam sanaui mulierem, & hominem, à quibus egrediebatur chylus, & cibus. Sanaui mulierem glande percussam plumbea ab anteriori, & posteriori parte. Et hanc Deus sanauit: quia meretrix quondam fuit, iam castè, & sanctè uiuit. Si autem fuerit in ore uentriculi insigne vulnus, tunc succedit mors ob prǽstantiam partis, ob nexum, quem habet cum corde, & omni genere neruoso. Succedit post vulnus syncope cordis, & totius corporis defectus. Sanatur tamen uentriculus; quoniam exhibemus glutinantia per os. Intestina vulnerata plurimos interficiunt, sed sanantur, quum possumus suere, & ego vidi aliquos in intestinis vulneratos, & non potuimus suere, qui adhuc uiuunt, ergo non necessariò inferunt lethum; sed, vtplurimum. Et ego quum essem in patria mea mulierem vidi laborantem hernia, quidam secuit intestinum, & iam ex eo loco emittit feces, & uiuit adhuc: si suatur ergo intestinorum vulnus est ad vtrunque ad mortem, & ad uitam. De mesenterio: ineuitabilis est mors. De venis magnis circa alas, & inguina: dico quòd non sunt lethalia, vtplurimùm si adsit bonus minister, qui possit supprimere sanguinem. Lethalia sunt absente Medico, cum sanguinis copia defluit. De istis dico, quòd vtplurimùm non interficiunt: necessariò nunquam interficiunt: ista sunt vulnera, vt sciatis ferre iudicium de morte necessaria, & non necessaria: alia sunt quæ necessariò non sanantur, vt

*Vesica fellis.* *Renes.* *Vētriculus.* *Intestina.* *Mesenterīū.* *Venæ.*

in cauitate, quæ est supra supercilium, vbi est cauitas supra oculos: ista cauitas necessariò non sanatur: si comminuatur os in illa parte, nunquàm sanatur: sed ego possum dicere in vita mea vidisse hoc, in nobili scholari foroiuliensi: repleta est carne pars ista, & hoc miraculum fuit: in cæteris nunquā vidi. Idem dico de gula. vbi vulneri fistula succedit. Accedit thorax, qui nunquā mortē infert, dūmodò interiora non tangantur; utplurimū tamē fistulæ eueniunt: multos sanaui; sed hoc rarum est, & Deo adiutore. Hæc sunt obseruanda: quædam sunt, quæ cùm sanentur solent inferre noxam membro, & facultatibus: ut uentriculi uulneratio sit imbecillitatis, cerebri stoliditatis iudicium. si etiam uidetis neruum læsum, neruum punctum, neruum sectum; ligamentum etiam reiectum, caput ossis læsum, semper pronuntiate membri læsionem, & ista sunt malefica uulnera. Quotiescunque uidi uulneratum ligamentum articuli uel neruum, semper secuturum pronuntiaui membro impedimentum. Sed uidi militem uulneratum in genu, & amputatum erat ferè totum internum os, ego totū resecui & iā ambulat non lęsus, nō claudus, sed rectus. Ego uidi hoc rarò: si hoc fit adscribatis uestrę pręstātię & fortunę. Sed solent secari musculi per transuersum, & in eo casu solemus inferre impedimentum membri inferioris, & ita pronuntiare: sed hoc non est uerum, quando musculus fuerit in medio resectus per transuersum, si potestis bene sanare pronuntiate sanitatē. Sed si musculus sit in capite læsus pronūtiate lęsionem, uel in inferiori, uel in superiori parte: & ego habeo plura exempla. Vltimò quoties uidetis uulnus in articulo, in quo humiditas egrediatur (non est articulus in nostro corpore, qui non habeat mucum) pronuntiate læsionem illius, nam, quū egressa est humiditas illa naturalis arescit articulus, & ideo moueri non potest. ista uobis sunt memoranda & diligenter examinanda. Habetis ergo quid sit uulnus: differentias eius: quomodo pręsagire debemus de uulnere: modò succedit ut ad curationem eius descendamus.

Cauitas supercilii.

Nerui Ligamenta.

Casus notabilis.

Musculi.

Articulo.

### *De ordine in curatione vulnerum seruando. Cap. XIII.*

Vlnera curanda hoc nobis sunt ordine primùm simplex, secundò cum propriis accidentibus, ut cum dolore, &c. Tertiò complicatum cum aliis morbis peculiaribus, quartò sunt propria loca sananda. simplicis igitur uulneris præcedat curatio, mox dolentis, deinde inflammati, demum curentur uulnera capitis, thoracis, &c.

### *De simplici vulnere, ac duplici unione, per agglutinationem scilicet, ac per colligationem. Cap. XIIII.*



QVò ad primũ cùm simplex uulnus sit curandum de ne cessitate sequitur, ut curatio sit una, & simplicissi ma, quod debet Medicus respicere. Cumq; sit di spositio præternaturalis, atque solutio continui, op positum est unitas, ergo oritur indicatio uniendi, at que scopus Medici est, ut omnia in unionem inten dat. Verùm ut hoc commodè fiat oportet, ut obseruemus non unã esse copulationem aliquando uulneratæ partes uniuntur per aggluti nationem, & cohalitum, ueluti si portiones duas ceræ caperemus, & coniungeremus hæc conglutinatio uocatur, quoniam ità simul coniunguntur sicuti lutum si luto iungatur, talis coniunctio conglu tinatio dicitur, quoniam pars per se mollis, ac uiscida alteri parti molli, ac uiscidæ copulatur. Hæc est prima unio, & est naturalis, ue ra, & perfecta unio in qua uix uestigium solutionis apparet; & hæc à nostris prima intentio appellatur: unde chirurgi dicunt procede re per uiam primæ intentionis, & de hac Gal. loquens πρῶτον σκοπὸν nuncupat, quod idem est cum primo scopo. Alio modo unimus par tes separatas per colligationem, quam συνῆ. uocat, quando non possumus facere, ut particula una cum alia agglutinetur assumimus extrinsecum, quo ligantur partes, quùm pannum panno filo hincin de perforante coniungimus. Vos uidistis fabrum ferrarium acci pientem gemina ferra: ista non coniunguntur, sed adiecto stamno, uel plumbo, uel ære extrinseco uniuntur: & hæc non est agglutina tio; est potius colligatio; similiter si hoc fit per intrinseca, cum me dio quodam coniungatur. Hoc accidit in uulneribus quæ interme dio cõiunguntur, ut cùm connascitur caro, uerbi gratia, sit uulnus in femore, non possunt partes agglutinari, nascetur caro, quæ copulet partes; hæc unio colligantia uocatur, à Galeno uerò σαρκοφυΐαν hoc est concarnatio; & hic est secundus scopus: deficiente primo scilicet agglutinatione unimus concretione carnis intrinsecæ: uel extrinseco aliquo, ut cùm fracta est uena, coniungitur carne nascen te super foramen uenæ: concludentes ergo dicimus omnem solutio nem debere unione auferri, & hic est scopus Medici. Hoc autem du pliciter fieri potest aut agglutinatione, aut interueniente aliquo me dio uel simili, uel dissimili, & hic est secundus scopus, uel secunda intentio.

Gal. 1. Art. med. c. 89.

Prima unio.

1. Art. med. cap. 91.

Secũda unio

3. de comp. med. loc. c. de plaga ca pitis.

De

## *De ijs quæ curantur per agglutinationem.* *Cap. XV.*



SEd quæ sunt quę primum scopum recipiunt? omnes partes carnosę: spermaticæ in principio naturæ, in principio fœtus, in reliqua ætate spermaticæ partes non possunt per primam intentionem sanari, sed sanantur secunda intentione ante septimum annum, excepto osse per primam intentionem curationem admittunt, post septimum annum per secundam. Sed est locus Galeni molestiam afferens: loquens enim de hac agglutinatione dicit, curatio solutionis intentionem habet unionem, quæ in partibus instrumentarijs impossibilis est, in similaribus non semper possibilis; ex quo colligimus, quòd quum pars similaris est uulnerata sanari potest, in partibus dissimilaribus vulnerum curatio impossibilis, si ergo digitus uulneratur relinquendus est pro impossibili. Qui interpretantur Gal. pro solutione continui intelligunt reiectionem ut, si digitus secetur, cadet, & ita amittet animam, & ideò non potest coniungi cum parte uiua, quia mortuum & uiuum proportionem non habent, & ideò non copulationem, at inquiunt partes similares etiam per trāsuersum testæ possunt coniungi, ut in puerulis per agglutinationem sectio uenæ sanatur, ita ossis, arteriæ, nerui, & si per primam intentionem sanari non potest, adminus per secundam. Sed brachium amputatum nullo modo. Verùm hoc est falsum & Galenus non sibi consentire uidetur: multa enim instrumenta ex authoritate Gal. non solùm per secundam, sed per primam sanata sunt intentionem, ut nerui, uenę, arteriæ in puerulis. Hæc autem in lib. de morb. diff. cap. 4. uocat instrumenta, ergo cùm instrumenta sanata sint à Gal. falsum est, quod dicunt. Hoc autem non uiderunt qui interpretati sunt Gal. Ad hoc igitur dicamus primò malam esse interpretationem istorum, nam per solutionem non recisionem intelligimus, siue nos amputemus digitum, siue partem carnis nullus quęret coniūgere; aliud est recidere, aliud secare per trāsuersum, si secatur digitus, & remaneat aliqua pellicula uiuens coniungitur, & sanatur; hoc expertus sum in naso, & auriculis multorum. Dico igitur, quòd Gal. per diuisionem intelligit solutam unitatem, quæcunque fuerit. dixit Gal. quòd non coniungitur. hoc stante uideamus modò, quum dixit instrumenta non coniungi non contradicit sibi: nam hoc non nomen organi fuit in causa magnarum difficultatum apud Gal. dupliciter enim sumitur, aliquando pro parte deseruiente alteri

Locus Gal.


Cap. 90. Art. med.

Expositio aliorum.

13. Med. in lib. de semine.

Solutio propria.

Organum.



alteri parti, ut gladius non est instrumentum per se, sed deseruiens agenti. Ita uenæ, arteriæ, nerui non habent facultatem propter se ipsos. Vena continet ne sanguinem propter se? non: sed ut hepati, & cordi inseruiat; cùm ergo particulam illam, quæ habet operationem alii inseruientem uocemus instrumentum ideo instrumenta dicuntur. Hoc est primum significatum instrumenti, & in hoc significato falsa est sententia Gal. quòd instrumentum uulneratum non potest uniri, quia uenæ, & cętera uniuntur; sed per instrumentum intellexit partem contradistinctam parti simplici: omnes etenim partes aut simplices sunt, aut cōpositæ: simplices sunt substantiæ neruosæ, carnosæ, &c. compositæ sunt oculus, digitus, &c. per instrumentum ergo intelligimus partem compositam ex partibus simplicibus, & in hoc casu uera est sententia Gal. quòd istæ partes si soluantur non possunt uniri. Sed est instantia: Ego uidi Germanum nocte uulneratum in digito medio manus, qui diuisus est per medium, & cutis, & os, & caro, & tamen sanaui eum iam agitur quartus annus. Hoc non uidetur difficile. Semper sunt scriptores apertis oculis legendi: uidete Galenum ibi, qui loquitur de unione primi scopi quam cōglutinationem uocant: dicit ibi Gal. Veluti carnosæ, quæ agglutinantur: ecce quomodo de unione primi scopi loquitur, quoniã nulla est pars composita, quę conglutinari posit. Quod, si non creditis, legatis Gal. in 91. cap. sequenti, quia patefaciet loqui de prĩmo scopo, quum loquitur de uulnere ossis, dicit: Si autem os patiatur solutionem continui non potest uniri, uti dixi, & subiunxit postea, Potest tamen uniri per secundum Scopum, ecce clara est sententia Gal. uos nunquã reperietis aliquod instrumentum, partem compositam diuisam per longum, aut transuersum, quæ agglutinetur. Sunt ligatæ partes à poro, & carne. Et ideò remanere solet digitus crassior, & mouens se, idem dico, de naso, auriculis, &c. semper nascitur caro media uel aliquod intermedium, quo colligantur partes. Primum ergo, quod quærit Medicus, est unio, & hæc duplex, uel in agglutinatione, & hoc fit in partibus similaribus, & in uasis spermaticis ante septimum annum, uel per ligationem, quia caro, uel intermedium, uel circumpositum ligamentum nascatur, & hic est secundus scopus, & à Medicis uocatur secunda intentio. Quos scopos, si assequamur sanabimus quodcunque uulnus. Verùm notandum unum, quod nisi uobis pateat, facit difficultatem: quòd nostri Chirurgici per primam intentionem intelligunt largo modo: & ita laxior est significatio primæ intentionis apud chirurgos, quàm primus

Instantia.

Solutio.

primus scopus apud Gal. nam si fiat uulnus in facie, & suatur, etiam si in eo caruncula nasceretur, ueluti si cartam cartę glutino coniungamus, conglutinatio uocatur, ita chirurgici, etiam si caro nascatur inter partes agglutinationem uocant: sed uera agglutinatio, & primus scopus est, quum intermedium nullomodo adest. Cæterùm nostri Chirurgi decepti pauco medio putant esse primum scopum, ad uertatis tamen, quòd non erit sanatum prima intentione, si medium quantumuis minimũ intercedit, tunc enim est secũdus scopus. Dicet quis, cur ita incalescis in hac re tam parui momenti? Multùm facit hoc, nam nisi id cribraueritis, Hippocrates bonus senex non saluaretur: quum dicit, præputium sectũ non coalescit. consentiens cũ Arist. similiter de auricula. Duplex est cohalitus, aut quia conglutinetur, aut quia media caro suboriatur: si auricula amputatur, & non suatur, nũquã sanatur, oportet suere, ut mediũ nascatur; si loquamur de cohalitu primę intẽtionis, auriculæ nõ coalescunt; cartilago cartilagini nõ coalescit, quia duo sunt simul dura, ubi nõ consuatur, cauitas impletur carne: ut ergo Hippocratem saluemus oportet distinctionem hanc facere: ego possum testari uobis multas auriculas uidisse coniunctas: omnes dicunt ad Hipp. quòd huiusmodi partes non coniunguntur sine medio. Hac ratione dico; si uultis seruare authoritatem Hipp. oportet seruare primam intentionem, quæ nullo medio fit: & non assentiamini Medicis nostris uocantibus pauco medio agglutinatas partes primam intentionem: non enim hæc est prima, sed secunda intentio: si non consueremus partes illas exangues non posset nasci caro implens cauitatem, & ideo suimus. hac igitur ratione omnia soluetis dubia, & omnes difficultates circa hanc materiam contingentes. Ad institutum igitur nostrum redeuntes dicimus quòd Medici munus est cognoscere an uulnus possit prima uel secunda coniungi intentione: debetque id diligenter examinare. Notando tamen quòd multa per primam intentionem sanari possunt, sed tamen aliquando impedimenta succedentia, de quibus infrà dicam, prohibent. 6.Ap(?)C.19.

### *De causis agentibus. Cap. XVI.*



Finis MEDICI est coniungere partes uel primo uel secundo modo: oportet considerare causas: has Gal. uult geminas esse, naturam scilicet atque Medicum. Natura est uera effectrix illius, quod agglutinamus; natura autem non potest agere nisi Medicus auxilietur. Verùm adiungerem tertium, & esset 90 cap. Art. Med. 3. meth 4.

ſet medicamentum,unde Gal. nomine Medici hoc idem ſignificare uoluit: cùm autem uideam multa uulnera Medico abſente inſanabilia eſſe quandoque medicamentum abſque Medico ſanare, & Medicum abſque Medicamento id præſtare non poſſe, ergo tria ſunt neceſſaria, Natura, Medicus, & Medi camentum. effectrix uerò, & immediata eſt natura: concurrentes cauſæ ſunt medicamentum, & Medicus: at natura non poteſt operari, niſi impedimentis ablatis: natura ſanat; cęterum ſi non ſanat, eſt, quia impedita eſt, ad tollenda impedimenta ſe exercet Medicus, per accidens ergo ſanat Medicus, & medicamentum; ſi natura non fuerit impedita per ſe ſanat.

### *De impedientibus naturam. Cap. XVII.*

Mala cõformatio.



Vatuor ſunt ex Gal. loco citato,quæ impediunt naturam, & primum, eſt mala conformatio, quæ eſt cã ut à natura ſanari non poſsit. Secundum eſt malæ conformationis duratio, tertium eſt additio corporis præter naturam: ſi enim in uulnere corpus ceciderit diuerſæ ſubſtantiæ, impedior. Quartum eſt inſalubritas partis affectæ, non dico inſalubritatem uulneris, ſed ſubiectæ partis, quæ ad alterationem pertinet, non eſt dubium quòd ſi diſtemperatæ, ſi inflammatæ fuerint partes, ſi ferrum in uulnere, nunquam ſanatur uulnus. Sex autem ſunt, in quibus Medicus debet eſſe ſollicitus, ut natura non habeat impedimentum. Et primò aduertendum ne extraneum in uulnus incidat. Secundum eſt, ut ſi quid inciderit extrahatur. Tertium, ut ſemper in omni uulnere labia coniungantur. Quartum, ut labia coniuncta conſeruentur coniuncta. Quintum, ut ſymptomata auferantur. Sextum eſt, ut natura integra partis ſeruetur, & corrupta reſtituatur, aliter, niſi Medicus hæc procuret nunquam natura ſanabit. ex his ſex quædam ad Medicum pertinent tantùm, ut primum, ſecundum, & tertium à nobis ſupra propoſita, quæ natura, & medicamentum facere non poſſunt; duo ſunt propria medicamenti, & eſt quintum, & ſextũ: duo ſunt quæ partim à Medico, partim à medicamento fiunt, ut extractio ferri, & conſeruatio labiorum; nullum iſtorum fit à Natura, in primo igitur ſit ſollicitus noſter Medicus ne aliquod extraneum incidat in uulnus. Ego aliquando fui uocatus ad uulnus conſutum ab Empiricis, ipſi conſuunt nulla utendo diligentia, ut ſi barba uulneretur multi pili in fundum uulneris decidunt, ſanguis decurrit, mutatur uulnus, in quarto

uel quinto die postea apparent pili, prius autem de uulneris mutatio ne dubitabamus, monete Empiricos, ut sint diligentes in hoc, quoniam non possunt postea facile extrahi. quoties occurreret, quis accipiat telam, uel corpus molle, & in initio expleat uulnus, ne capilli decidant: ego uidi quarta die sanata uulnera ueluti si nihil passæ fuissent partes. Secundò nota ne oleum, & unctuosa cadant in uulnus, quoniam ista agglutinationem impediunt; primò quia humectant,& calefaciunt; secundò quia corpora unctuosa habent substantiam diù perdurantem, & ita impedient substantiam carnosam, ne agglutinetur: iccirco Gal. & Cels. prohibent hoc: quare quum mandamus, ut oleo ros. circumpositæ partes,diluantur, ne guttulæ in partem affectam distillent. Paulus notat aduertendum, ne arena in uulnus profluat, ac impediat agglutinationem, seu ipsa cum carne agglutinetur. Vidi multos concidentes, quorũ uulnus arena plenum necesse fuit consuere. Fuit puer lapide ictus, huic remansit calx in osse, absterſi,secui, & omnia tentaui, non potui extrahere,iã uidetur pars interior alba temporis illius pueri, quæ apparet clarè, etiam si caro concreuit.aduertite ergo ne extraneum influat in uulnus ueluti pili,unctuosum corpus, arena, aut calx,impediunt.n.compositionem. Gal. quinetiam tertio meth. Aet. lib. 14. cap. 26. & Paul. lib. 4. cap. 36. monent obseruandum ne humor præter naturam influat in uulnus, ne humiditas ichorosa, uel saniosa, uel cruor ipse, qui concrescat in grumum solidationem remorentur.

## *Quomodo in uulneribus sanguis est supprimendus. Cap. XVIII.*



Elsus monet ut Chirurgus diligentisſimè conspiciat quantum sanguinis egressum est. Si paucum, faciat, ut multum egrediatur secundum habitum corporis; si carnosum corpus,ad libras egrediatur comprimendo, & alia agendo, nam triplo,& quatruplo citius uulnus sanatur; postquam egressa est sanguinis quantitas, monet Celsus, ut linamentis siccis expleatur uulnus. Linamenta uocant filamenta, quum linteola attrita accipimus ex filis excerptis: moneo uos ut caueatis ne recurratis ad gosſipiũ, quoniam quamuis supprimat sanguinẽ tamen ita hæret carni, ut non possit auelli; & ita impeditur consolidatio: nec utamini stuppa sicca,quo

Lib.5.c.147. Ex uulneribus sanguis copiosius effluat.

Gosſipium

Stuppa.

niam ea extracta sanguinē nouiter fluere uidebitis. Monet Celsus, ut spongia madida aqua frigida, uel aceto etiam imponatur, & tunc est quando humiditas sanguinea, uel grumosa iufluit. Sed cautè uta mur aceto duabus de causis: prima, quia acetum dolorem facit: secunda causa, quia sua qualitate offendit uulnera, quoniam adstringit, & retinet materiam non solùm impedientem, sed bonam proportionatam. Adiungit Aetius, quòd rigidas reddat partes sua uirtute adstringenti, ita ut agglutinari non possint, & ideo utamini posca aceto scilicet diluto, aqua: quando uideo, quòd ex usu linamentorum aqua frigida imbutorum non fit sanguinis detentio, accipio quatuor partes aquę, & aceti unam, si potest bibi, mixtio satis bene se habet; quoniam non potest dari alia norma, pp qualitatem aceti uariam: accipio poscam egelidam, non frigidissimam, quia frigidum uulneribus inimicum. Notate aliud quòd quamuis Celsus, & Aetius dicant adstringere acetum, intelligite habere uim siccantem, refrigerando repellerem, atque per accidens constipationem sequi; non quòd acetum per se adstringens sit, nisi uinum, ex quo fit adstringens fuerit; ita posca ista tepida impediemus humiditatē quālibet impedientē, in quibus humiditatibus, & sordibus sollicitus esse debes.

Posca.

*Quòd relinquenda uia uulneri, ex qua id quod retinetur, effluat. Cap. XVIIII.*



Nter illa quæ possunt corruere in uulnera not. ex 90. cap. art. medic. quòd non solùm influentia in principio debetis cauere, sed in successu curationis debetis aduertere, quòd sunt uulnera habentia cauitates profundas in quibus semper cadere aliquid potest: & ideò (dicit Gal.) faciamus suffluxionem, & est, ut quādo sumus tractaturi uulnus, relinquatur hostiolum, & uia, qua, quod retinetur, effluat. exempli gratia habeam uulnus in capite, & magna pars cutis caderet, ego primùm auferrem omnia contínentia, postea sicurem, tertiò reducerem cutim in loco suo, & in parte inferiori foramen facerem, & postea consuerem: foramen facerem, ut collectum in uulnere effluat, & reliquæ partes agglutinentur; ideo in extremis partibus solent linamenta ponere, ut cauitas seruetur, & foramen. In qua re laudandi sunt aliquo modo, aliquo modo non: nisi maxima sint uulnera, nunquam imponenda linamenta, si parua uulnera, nullo modo.

Quid

## *Quid pus, quid ichor, quid sordes.* Cap. XX.



ET quoniam puris, ichoris, sanieique mentio fiet, ideo hoc declaremus.notandũ ꝙ ego reperio excrementorum, quæ confluunt ad uulnera, uarias uoces apud scriptores: quos in tres distinguo classes, Græcos, Latinos, & Barbaros nostros, qui barbarè loquũtur. apud Barbaros inuenio sordem, sorditiē, & aquosam, & oleosam humiditatem, saniem, &c. apud Latinos ueros ut Celsum, reperio saniem, pus, ichora, melyciron, & pus oleosum. Apud Græcos & Gal. & Hipp. tres præcipuas uoces inuenio. Et prima est ichor, secunda sordes, tertia pus, quę uobis opus est declarare. Et primùm de ichore, ego dum reperio hoc apud Gal. uideo, quòd non semper eadem est res; sed aliquando capitur pro humiditate aquosa, quæ est mixta cum massa sanguinea, & est aqua tincta sanguine, & hæc frequenter ichor uocatur, aliquando ichor aquosus, aliquando λεπτὸς idest tenuis: de qua loquens Gal. diceba, Quando in uulnere fit inflammatio, quæro an semper ichor effluat. Et declarans dicit, Per ichorem intelligo humiditatem aquosam mixtam sanguine, sed ista est grossior flatu. Galenus ergo intelligit per ichorem sanguinem aqueum. Aliquando Galen. intelligit quamlibet humiditatem tenuem, quæ egrediatur ex vulneribus, passam aliquam concoctionem, & alterationem: prima significatio est de sanguine nondum digesto, nec alterato ob corruptelam, uti Gal. testatur, ubi excrementũ ulcerum & uulnerũ distinguit: sed postea istius ichoris facit duo genera, & alterũ concoctionē appellat; alterum crudum, & in concoctum primus est bonus ichor, & est idem quasi cum pure: secundus est fœtidus putridus: nam quoties ichor egreditur ex vulneribus alteratus, non concoctus fœtidus est: quando ergo dico ichorem dico duplex excrementum: quod si habet notas bonas coctas, ichor coctus vocatur; si malas notas, ichor dicitur crudus. ego uellem ut Interpretes semper hunc humorem uerè, & distinctè traduxissent: ipsi aliquando uert unt uno modo, aliquando alio indiscriminatim. Sordes etiam apud Gal. dicitur: nos intelligimus excrementum ex vulneribus exiens contraductum ichori; nam idem accidit vulneribus quod in omni concoctione; quoniam aliud excrementum nascitur crassum, aliud tenue. Sordes est excrementum tenue, album. bonas habens notas, & idem est cum pure apud Gal. aliquando apud Gal. significat sordes genus excrementi ita duri, & ita crassi ut à vulneribus

[Margin notes: lib.5.ca.14 — Ichor. — in li. de tem. pr.nat.ca. 5. — 3. Meth. 5. — 3.Meth. 5. — 2.Ad Glauc. 8. — 5.Meth. 10. — Sordes.]

neribus abstergi non possit, ita hæret eis, & assatum dici debet: unde sunt sordida ulcera, & hęc dicitur connata sordes; quia ista humiditas solet ita vulneribus adhærere vt caro supernata uideatur: & 5. Met. 10. eam cognoscetis ex uiscositate, quam non nisi gossipio eripere potestis, vel medicamento robusto uel manu. Gal. dicit, quòd si vlcus erit sordidum, requirit medicamentum robustum: & ibidem uocat sordem uiscosum excrementum, crassum, quasi sit caro concreta. Per Ichor. Pus. ichorem uerò humiditatem manantem à vulneribus intelligo. Pus autem ex 2. aph. 47. in lib. de fract. 1. & 2. aph. in lib. de vulner. vox est propria Hipp. & Galeni etiam, & est proprium excrementum vulnerum in generatione carnis: & est concoctum excrementum, quod in lib. de fr. dict. fit dum generatur bona caro, & tales sunt eius notæ ex Hipp. ut sit album, cinerei scilicet coloris, æquale, nullos grumos habens, nullumque fętorem; hacque ratione non ita facile effluit ut ichor, nec ita hæret, ut sordes. Hoc ex Gal. 2. ad Glauc. cap. 8. & 5. Meth. cap. 10. habebitis, & inuenietis differentiam inter pus, & duos alios humores: cùm ergo dico sordem intelligo crassitiem; quum dico ichorem intelligo aquam sanguineam, quũ dico pus audio medium inter Celsi opinio hæc nõ ita fluidũ, nec ita hærẽs. Celsus uerò lib. 5. appellat pus excrementum quoddam in vulneribus, quod est album, crassum, sanguine glutinosius. Et per sanguinem intelligit sanguinem calidum, adhuc fluentem, & liquidum; nam quum concreuit in grumum glutinosior est. Alterum est sanies coloratum, variè crassum, & est veluti gelu ichoris: per ichorem Celsus intelligit saniem ex malo vlcere proueniẽtem. Meliceriã uerò appellat humiditatem similem melli albo. Vltimo est pus oleosum, & est quædam humiditas pinguis, tenuis, subalbida, & oleosa, & hoc solet egredi ex vulneribus ossium, & nerRecentiores. uorum. Hæc sunt apud Celsum. Recentiores omnia nominant sub nomine saniei, & tres species ponunt. prima est concocta æqualis, & quæ habet notas puris Galeni, & Celsi, & vocatur bona, & laudabilis sanies, quoties hæc nomina auditis, audite pus bene coctum: aliquando intelligunt ichorem, vel meliceriam, vel pus oleosum per saniem, & quoties est excrementum fœtidum vocant saniem; & vocant aliquod frigidum ex materia frigida, aliquod calidum ratione materiæ calidæ, sed tamen semper excrementum est frigidum; aliquando nomine saniei vocant sordem, vt cùm est excrementum crassum, quod distinguunt in album, nigrum, & cinerulentum, & est sordes Galeni. His constitutis coniungamus noua veteribus. Quod Pion à Gal. à Celso pus, à barbaris sanies bona,

uel laudabilis: dicitur ſecundò ichor Gal. vocatur à Celſo ſanies, vel ichor uel meliceria vel pus oleoſum, à Recentioribus ſanies fœtens, virus, & virulentia: tertiò yipos hoc eſt ſordes Gal. ab his ſanies groſſa nuncupatur.

### *De excrementorum in vulneribus materia & cauſis.* *Cap. XXI.*



NOMINIBVS excrementorũ traditis, videndũ eſt qua ratione fit, vt ex vulneribus hæc redundẽt, & ita excremẽtorũ cauſas & materiã inueniemus. Et primũ quo ad excrementũ, quod geminũ ex vulneribus exire diximus, alterũ quod nõ paſſum eſt, alterũ uerò quod ſic. Primũ dicimus eſſe humiditatẽ cruẽtã quæ redundat cum ſanguine. quando hæc exit? quum capillamenta uenarum ſunt aperta, & ideo, quia tenuis eſt, effluit, & nihil paſſa eſt in parte affecta, ſed eſt ichor aquoſus ſecũdum Gal. iccirco quotieſcunque à vulnere prodit humiditas iſthæc, dicite vulnus ichoroſum. Nam duę ſunt vulneris paſsiones; ſtatim etenim fit cruentum; ſecundò fit ichoroſum. Sed dicet quis, Quomodo cognoſcam hanc humiditatem quæ exit à venis? prius à colore, erit ſicut lotura carniũ, dum modò purus ſanguis contineatur in ipſa maſſa, in venis. Si autem ſanguis fuerit bilioſus, erit flauus, luteus ichor; ſi melancholicus erit ſanguis, ichor nigrior, atrior apparebit. Secundò à ſubſtãtia: quia huiuſmodi materia tenuis eſt, ſi enim eſt lutea & craſſa, non eſt ichor; oportet igitur, vt ſubſtantia ſit penitùs aquoſa, & tenuis. Addatis tertiò, vt nullum habeat fœtorem; nã ſi eſſet fœtidum indicio eſt, quòd aliquid paſſum eſt, & alteratum & corruptum eſt in loco affecto, iſtud erit excrementum uulneris, & non uenarum: igitur ſi excrementum erit coloris loturæ carnis, tenuis, non craſſus, nullumq́ue fœtidum habebit odorem, uocabitis ichorem, excrementum uenarũ, non uulneris. Excrementi autem uulneris cauſa eſt, alteratio, quæ ueniat à calore: & quia hic calor uariè alterat humiditates, ideo uarium eſt. Dicebat Gale. quòd tres ſunt mutationes in humoribus, altera eſt à calore naturali, qui ſemper agit in materiam à principio vſque ad finem. Exempli gratia, calor naturalis agit in ſanguinem purum, & cõuertit in carnem: ſi ſanguis eſt pituitoſus, non cõuertit in carnẽ. Moneo vos vt intelligatis verba Gal. nam vbi dicit, Familiari animantis natura. legite, Materia, non Natura: quia materiam oportet eſſe familiarem

5. de ſimp. med. fac. capi. 6.

mil-

miliarem animāti. Secūda est alteratio, quæ fit à calore præter natu ram, & ista dicitur putrefactio, & corruptio, quæ fit cū putredine fœ tente: & (vt dicit Gal.) in hoc genere alterationis duo obseruare pos sumus, quòd aliquādo bona materia corrūpatur à calore malo, & al tere tur, aliquādo mala materia, & hęc peior est, & ideo alterationes istę suam habent differentiā. Tertia alteratio est, quæ fit partim à ca lore præter naturam, partim à naturali, ita vt naturalis uincat: nam quamuis non posit uincere materiam, vt conuertat in substantiam, tamen ita eam temperat, vt non lædat, & ideo mala materia non di citur; si vinceret preternaturalis esset secunda, quæ dicitur putredo. Prima alteratio non fit in uulneribus, ita vt excrementum conuerta tur in carnem, quia non esset excrementum. Secunda alteratio appa ret in vulneribus, ac etiam tertia: & ita omnis excremēti, quod sit ve rum excrementum vulneris, causa efficiens duplex est, aut calor pu tredinalis malus, aut naturalis non uincens ex toto, sed in parte pre ter naturalem. & primus de sanie, quæ erat ichor, virus, virulētia cau sa efficiens est calor putredinalis quoties in vulnere contrahitur in temperies, quæ labefactat calorem naturalem, & facit frigiditatem, aut auget calorem, & facit eum igneum, corrumpuntur humores, & ideo fœtent, quia patiuntur secundam alterationem, quę finiebat in putredinem olidam: cur autem istius vel illius coloris? Si est materia flaua: flauum colorem habet si est biliosa materia, quoties erit calor naturalis validus non solùm in hepate, sed etiā in quauis parte; quod dico de flauo, idē intelligo de nigro & albo. Notate tamē ꝙ ista quā uis fiant à calore putredinali, differunt per magis & minus; & hæc va rietas depēdet aut à materiei diuersitate, aut ratione loci. In profun da parte minùs perspirat putredo, & ideo ratio inæqualitatis putre dinis à loci & materiei diuersitate prouenit. Cùm autem est intempe ries, quæ nō vincit naturalem calorem, sed impedit, ut in carnem nō uertat, vertit in excrementum, quod pus, seu saniem coctā uocant. Nam duplex excrementum apud Gal. esse dixi, alterum crassum, scili cet sordem, alterum tenue, quod ipse uocat pus. De isto dico quòd sa nies non habens fœtorem, nec inæqualitatem est istud pus: non fit à calore integro; semper vulnerata parte laborat calor naturalis, vel per admixtionem frigidi, vel à diuisione ipsius caloris dominatur ta men calor naturalis; quia nō adest fœtor, omnis humor desinit in pu tredinem olidam, si non fit à calore naturali tantùm. Sanies tamē o ritur duplex quum calor naturalis vincit, scilicet tenuis & crassa: sed hoc prouenit ratione materiæ, si substantia materiæ tenuis, sanies te

nuis

nuis, si crassa, crassa. Coctum & non coctum dependet ratione caloris; crassum & non crassum dependet ratione materię. Si autem fiat, vt contingat error Medici, aut sit intemperies sicca, fiet tertia excrementi boni species, quę dicitur sordes, in qua nō est fętor, & ideo agitatur à calore naturali vincente: sed fit ita crassa, vel quia Medicus errauit, quia imposuit medicamēta siccantia; natura uolebat facere pus, medicamentum exsiccauit. Secundò si Medicus reliquit nimis detectum uulnus, & ita ambiente frigido bonum pus crassius factum est. Tertiò quia adsit intemperies sicca, vt si sit pars sicca, quāuis adsit calor, tamen fit sordes. Habetis igitur efficientem causam excremētorum: materia autem una est ex Gal. & est humiditas, sed variat nunc vno modo, nūc alio. Sed Hippo. in lib. de Vlceribus tenet esse sanguinem, vbi dicit, Alimento & feruescente sanguine pus fit. At ego dico eum intelligere omnes humores in sanguine contētos: sed Galen. & Hippoc. addunt carnem ipsam; nam aliquando caro cōtusa eliquatur, concoquitur, & conuertitur in excrementum; itaque vel caro contusa, uel humiditas fluens ad locum erit materia excrementorum. Habemus ergo varia excrementorum nomina, species, causam efficientem, & materiam.

Materia excrementorum.

2. Aph. 47.

## *De extractione sagittarum & telorum in uulneribus infixorum. Cap. XXII.*



Rodpositis illis sex rebus diligentissimè obseruandis, primùm iam patet, quòd defendēda sint vulnera, ne quid impediens solidationem illabatur. Alterum succedit, vt quicquid in vulnere sit, totum extrahatur, vt optimè vulnus solidetur. Tria autē sunt genera rerū, quæ possunt in vulneribus esse: primum est, quod habet coniunctionem cum homine, secundum remotū, tertium remotissimum. Primum est, quum aut grumus, aut pili, aut barba sunt. Grumosum sanguinem tentabit gossipio, vel linteolo; quod si non succedet, tentabit ferro. Antiqui, vt Celsus, & alij solebāt aqua pura detergere, aliqui aceto; hoc nimis dolorosum est: in hoc casu poscam cum pauco aceto habeatis: sed aliquando vtor oximellite aqua mixto, nam habet maiorem vim detergendi ratione mellis & aceti, & aqua remouet dolorem: cùm ergo grumus impedit solidationem, & (vt dicit Gal.) dolorē faciet, modo dicto procedatis. Cùm autem barba, vel pili fuerint, aqua ablue, & huiusmodi posca. Si verò remo-

Grumus quo modo extrahitur.

Posca.

3 Meth. 4

Pili.

ta ca-

Calx & arena. ta cadent, vt calx & arena, remouenda penitùs sunt, ne remaneat calx sicut in puero dixi: tamē hoc perpetuum non est, sed si potestis remouere, moneo, vt remoueatis. Inter hæc quę remanent fuligo numeratur. Ego curaui ancillam, quę cōcidit scala, & in olla ænea caput percussit, ita vt pars ollę intrauerit in faciem. omnia agenda tentaui: ab altera parte vulneris erat infecta nigrore fuliginis; ego non potui remouere: & uidebitis homines habētes cruces in brachiis fuligine factas, gladiolo prius brachia perforante in cute: & ideo moneo vos, vt non sinatis, vt chirurgi currant ad exustum gossipium, quod impositum parti oportunum est ad extinguendum sanguinem; tamē nigredo illa remanet, ita quòd videbitur vir in facie, vel alia parte visibili habere sigillum, sicuti fuisset in manibus Turcarum. Aliquando accidit instrumentum, vel partem eius, à quo factum est vulnus non esse remota à vulnere; vt frusta vitri, arundinum, squamas piscium, sagittas, pugionum frusta. Vidi mille vulneratos pugione durissimo, & cuspide lanceę, & in osse humano horum frustum habuisse; miror quomodo os possit frangere ferrum. Sed frequentissimè accidit glandes plumbeas remanere, & hoc quàm sæpissimè: pręterea retinētur cum instrumentis partes indumentorum; secum enim trahunt glandes indumenta; & si sit lorica ferrea, vel squamata, inducūtur in corpus anuli, & ferreę laminæ: ideo Medicus debet diligentissimè hæc extrahere. & tria in hoc casu respiciēda sunt: primùm uidendum est an extrahi possit, & an tutum sit, ut extrahatur nec ne: & si non extrahitur an possit sanari vulnus non extracta materia. Nam debetis scire, quod nisi facillima sit extractio, non extrahatis; si potest uiuere homo non extracta materia. Si homo haberet mille globos in corpore, nūquam debetis tentare extractionē; infiniti sunt qui sagittas & globos plumbeos habent. Gal. proponit quatuor hominum genera, qui habebant sagittas in corpore, & non laborabant: & ego habeo exempla nobilissima Principum habentium glandes plumbeas, & nihil patiētium. Ego post quintum annum extraxi glandem plumbeam receptā in inguine: & etiam extraxi iuxta genu: cùm ergo videmus posse sanari vulnera, sanemus: si est periculum extrahendi, non extrahamus. Ex cauitate thoracis extraxi laminam ferream hac æstate cuidam nobili, quam habuerat per nouem annos. Ego habui casum in muliere meretricula, cui fuit percussa facies phiala stercore plena: intra oculum frustum vitri habuit, non aderant symptomata mala: ego curaui solidationē, & curata est: nihil aliud symptoma patitur, & credo quòd sit sextus annus, nisi quòd clauso altero oculo, & remanente altero

Marginalia: Fuligo. — Instrumentum. — 3 Meth. 94. — Casus.

percusso vitro, aperto res maiores videntur quàm sint, & nihil aliud. Secundum cap. à Gal. propositum est. Si nos possumus extrahere materiam est videndum an superuicturus sit homo nec ne. Si non est superuicturus, cauēdum est; nam multi exhalant animas in nostris manibus, quod non est agendum. & est quum gladij sunt infixi cordi: similiter quum gladium infixū videmus dorso, vel venæ cauæ, vel musculo temporali, vel basi cerebri: tūc non debemus extrahere instrumenta, quia statim pereunt: multi per integrum diem reuixerūt non extracto instrumento: primùm hoc est propter maximam sanguinis emisionem; secundò propter alterationem maximam. Si verò extractio sit ita, quòd superuiuere posit infirmus; demus etiam, quòd sine noxa non posit remanere, extrahēdum est instrumētum. Et hoc dupliciter fecerunt Antiqui, aliquando instrumentis, aliquando medicamentis: idem faciunt Recentiores. Extrahunt instrumentis ea, quę facilè comprehendi possunt: nam instrumentū in momento temporis extrahit, medicamentum longum tempus requirit. Cùm ergo instrumentis possumus vti, instrumenta capiamus. Secundò utimur instrumētis, quū dubitamus de tumoribus & abscesibus corrumpētibus partes, statim tunc deueniēdū ad instrumenta. Tertiò videndū si adsit suspitio veneni, ad instrumenta currendum. Sin contrà difficilis sit extractio, ita quòd facilè instrumento non possumus, & non est suspitio tumoris & veneni ad medicamenta confugiendum. Quoties ergo fuerit spina, vitrum & frustum acus, quæ extahi nō possunt sine maximo dolore, & carnis apertione, recurrimus ad medicamenta, inter quæ sunt incantationes; & Theodo. lib. 1. c. 22. & alii docent modum, quo per incātationes extrahuntur: quod si verum esset, quāto ex labore leuaret nos? sed ego nūquam credidi, nec credam. Monet vt ter oratione Dominica dicta, dicamus, Nicodemus extraxit. Non est mirum si iste hæc dixerit: ego multoties litigaui cum his qui nunquam exttaxerunt susurris multis. Excusabant se de infidelitate mea Ex Gal. igitur oportet ponere medicamentū attrahēs: triplexque est genus; primū est, quod sua tēperatura habet facultatē, qua hoc faciat, cū hoc frigori, aut calori adscribi non posit. Talia sunt alexipharmaca, quæ attrahūt ad se omne genus veneni; & inter illa quę attrahūt à tota substātia nō videtur ibi ponere attrahētia spicula: tamē legatis apud Paulū ꝙ alterius habet vim attrahēdi spicula à vulneribus: medicamentū diaboptanon habet uim extrahēdi frustula osiū: natura horū medicamentorū frigida est. nō possunt extrahere per facultatē calidā, nec per putredinē, ergo à quadā latēti tēperie hoc facient.

3. Meth.

Non extrahenda tela morituris.

Duplex extractio, instrumentis, & medicamentis.

Incantationes.

5. de simpl. med. c. 17.

4. lib. c. 51.

D

cient. Et ita inter medicaměta quæ extrahunt ratione ſubſtantiæ erit alterius, & papauer cornutũ. alterũ genus extrahẽtium Gal. eſt, quod putredine ſua, eò quòd putruerit aliquid caliditatis acquiſiuerit, id operatur, & hoc in genere viſcũ numeratur: omne enim genus viſci fit per putredinẽ, quæ putredo cõmunicat illi corpora tenuia, & calida. Fermẽtum etiã, quod cũ putreſcat acquirit calorẽ: addit Gal. ſtercus colũbinum nõ ſiccũ, ſed coaceruemus eũ, quum caleſcere incipit & putreſcere: triticũ putridũ habet etiam vim extrahẽdi. Tertiũ genus (inquit Gal.) eſt eorũ medicamẽtorum, quæ habẽt tẽperamentum calidũ nõ calidiſsimũ, hoc eſt in tertio, vel ſecundo gradu, & ſint ſubſtantię tenuis, vt penetrare poſsint, tenuitate ſẽparẽt, quod eſt infixum ab eo, in quo eſt infixum: ego numero tantùm ſimplicia. Primum eſt propolis cera virgo appellata. Secunda eſt radix arundinis, cępa narciſsi, cæpa cõmunis dicta, vel allium coctum, pix naualis humida, reſinæ pini nihil paſſa, talis qualis ex pino adducitur, gladioli radix, tithimali radix, ariſtolachię recentis radix, dictami recẽtis folia & flores. Nos habemus dictami albi radicem. Gummi elimi primas habet in hoc opere; aſſa fœtida, ammoniaci lachryma. Gal. proponit capita lacertarum, quę tenuitate ac caliditate ſua id præſtant: addatis anagallidis vtriuſque ſuccum, & illius, quæ rubrum, & illius, quæ album florem facit.

*Secundũ genus extrahẽtium.*

*Tertium genus.*

*20. ſimpl.*

## *De medicamentis extrahentibus compoſitis. Cap. XXIII.*



Numeraui ſimplicia pharmaca, relinquebantur compoſita, nam raro ſolemus uti ſimplicibus, non quia non habent uim, ſed quia ratione occulta ſolent ſimplicia fruſtrari ſuo fine: & ideo cõponimus aliqua ſimul inter quæ gemina proponam, quæ ego compoſui: quando ſpiculum eſt extrahendum, & uos non timetis uenenum, uel aliud Recip. propolis, radic. ariſt. ſagapeni an. drac. I. s. fermenti, ſtercoris colũb. putrefacti an. unc. I. narciſsi cæpam unam, picis naualis liquidæ, mellis crudi an. q. ſ. hæc contundenda, & miſcenda in mortario, ut formetur emplaſtrum. Si autem iſto ualẽtius requiratur, poteritis hoc ſecundum addere, quod infixum oſsibus, & in intimis partibus, quod extrahi nõ poteſt baliſta, extrahit. Recip. rad. dictam noſtratis, pulu. dictam, eret. ſagap. aſſæ fœtidæ, gũm. elimi. an. drac. I. uiſci quercini. unc. s. & ſi nõ poteſtis habere quercinum, accipiatis quodcunque; nam ex mille libris uiſci

non

non habemus unam uiſci quercini, qnia paucißima quãtitas eius fit. ſi poſſumus habere quercinũ habeamus, reſinæ pini unc. 1. s. euforb. gran. 5. ſulfuris ſcrop. 2. picis liquidæ, mellis crudi an. q. ſ. mortario miſceantur. non negligenda ſunt, quæ ab aliis ſcriptoribus deſcripta ſunt. & primum à Guid. in antid. ab Auic. lib. 5. ſub nomine Andromachi, medicamentum tamen Auicennæ eſt. Addatis emplaſtrum, quod uocatur uſia; alterum mellinum ſerapionis, tertium uenus uocatur. Et hæc deſcribit Aetius lib. 15. cap. 14. enumero hæc, ut uos poßitis habere uaria medicamenta. nam, ſi quæ eſt actio quę debet fieri à medicamentis, quàm citò, & ſemper habere nõ poſſumus, hæc una eſt: hæc tamen omnia, tria medicamenta Galeni ſuperant: inter quæ unum eſt deſcriptum 3. de comp. med. per genera: eſt ex Euforbio. Ratio multiplex, & uaria eſt: poteſtis colligere, ex Gal. uerbis. ſecundum eſt in 6. eiuſdem, & diabotanon dicitur ideſt emplaſtrum ex herbis. duo ibi deſcribit Gal. ego intelligo de priori, quod habet uim extrahendi ſine noxa: ſecundum noxium eſt, quia medicamenta recipit: de hoc dico, ꝙ occulta qualitate expellit ſpicula, quia recipit alumen, quod habet uim adſtringendi, & frigidum eſt, tamen ſcriptores, & ego teſtor id præſtare, quod dixi. eſt etiam altercus, & folia papaueris cornuti. Vltimum medicamentũ eſt quod ſacrum dicitur, quia repertum eſt in ſacra æde Egypti, & deſcribitur à plurimis, primùm à Paulo, deinde à Gal. in 5. lib. de comp. med. per gen. cap. 2. 4. & 10. nullibi eodem modo. 10. cap. ex authoritate Democ. iambico uerſu contentum. & ibi continentur impoßibilia, quia docet miſcere duas libras litarg. cum tribus libris olei, quod impoßibile. deſcripſit ex authoritate Aſclep. & Hærę & uidetur approbare Galenus Aſclepiadis diſcriptionem quãuis parùm differat. ſed duobus modis paratur, uel ut extrahit tantùm, uel ut etiam facitat ad maligna ulcera, & ſiccãda oſſa. hoc ſecũdo modo recipit multa, quæ non recipit primo modo. Ego docebo propriam cõpoſitionem, quæ facit ad hũc uſum. Recip. olei ueteris, (ſi æſtas erit.) lib. 1. ſi hyems 1. s. litarg. lib. 1. colofoniæ lib. s. cerę unc. 3. ammon. ariſt. rotund. an. unc. 2. mannæ thuris, galbani unc. 1. s. ærug. æris, dictam. cret. aloes, propolis ana un. 1. ſquamæ æris, gentianæ an. drag. 6. talis eſt compoſitio: primùm coquimus litarg. cum oleo: ſecundò addimus ſquamam, & ęruginem, tertiò admiſcemus ceram, reſinam, & ammon. quartò reliqua; & ita coquitur ut medicamentum non inquinat manum, ſemper lento igne. His medicamentis extrahemus ſpicula.

Cap. 4.

Cap. 2. in principio.

& fienda. nam si dolor successit, non dimittendum ad nonum diem. si uidemus fluxum sanguinis, & timemus ne extrahatur magna sanguinis copia differemus ad nonum diem. si uidetis factum uulnus in strumēto uenenato, statim extrahatis: diligentissimè ergo hęc quatuor sunt obseruanda, ut habeamus quinque illa proposita.

### Quæstio de tempore extractionis teli à vulneribus. Cap. XXV.



Nfixum est uulneri telum, extrahendum est, quæritur an statim, an post tempus extrahendum, quod erat primum caput. in hoc non omnes consentiunt. Nam inter Recentiores Ioann. de Vigo lib. primo suæ practicæ compendiosæ cap. 9. asserit, quòd statim debemus aperire, & educere, secare carnes, & comminuere. contrariam proferunt sententiam Auic. & Albucasis, qui dicunt pertranseundum tempus tumoris, & quum putrescere incipit vulnus, extrahere. quam sententiam Guido approbat: & meliores hanc opinionem sectātur, ut cum compēsatione omnia fiant, & non ita ex abrupto. sed mihi placet nimis sententia Ioan. de Vigo. uellem auferre statim, si possem, atque eò magis, si adsit dolor ingens excitatus à spiculo, etiam si maior dolor excitetur, quoniā postea, & maior, & minor cessabit: secundò, si ferrum fuerit ueneno, aut rubigine infectum prętermittatis dilationem, educite statim, etiam si auferre integros musculos necesse sit, secare uenam, & neruos, consulendum est toti, non partibus. quamuis hoc raro fiat. & ferro, ignite quoniā cōuulsionis cessabit periculū: & si uenenū substātię sit infixum ferro cādēti extinguitur. laudo ergo in hoc Ioannē de Vigo. laudo Auic. si timemus fluxionem sanguinis, uel maius symptoma. prętereà obseruemus naturam teli, nam si non fuerit latum tunc tutò fiet expectare occasionem, quia ad profundum peruenit. tertiò si factus sit tumor, & inflammatio, ità ut vulnus sit factum angustum. quartò si non habetis instrumentum oportunum. Ego uidi chirurgum doctissimum, qui secuit craneum, ubi erant frusta ossium, petiit cultrum, quo operando membranam duobus vulneribus lethalibus percussit.

Io. de Vigo

Auic.

Propria op

Quæstio

***Quæstio an per eandem uiam extrahenda spicula. Cap. XXVI.***




Irca tertium an per eandem uiam extrahenda spicula nec ne. in hoc casu Albuc. Auic. Cels.lib.7.cap. 5. dicunt semper eadem uia, qua ingressum est telũ extrahendum: ratio est ne addamus uulneri uulnus. Verùm, quamuis hæc sit communis ratio actionis, aliquando tamen opus est, ut per partem sanam educamus, & in hoc casu tutò fiet, si pauca erunt incidenda. Fuit superioribus annis scohlaris glãde sclopettaria percussus circa umbillicũ & peruenit usq; ad lumbas, ego tangebam glandem, quæro an glans erat extrahenda à parte, à qua intrauit? in eo casu secui partem sanã, quia non nisi cutem perforaui, & inde glandem extraxi. sed obseruãdum est, ne uena adsit, uel neruus, etenim tunc ex parte, qua intrauit, extrahendum est telum, & expectare quoad caro putrescat. Aduertenda quinetiam est figura teli, quia quædam sua natura sunt quę per aliud sunt retrahenda. glans plumbea facit vulnus rotundum, & sic telum latum sufficiens est ad extrahẽdum. Sed sunt multæ species sagittarum, aliæ enim sunt bilingues; aliæ unum mucronem habentes; alię triangulares, aliæ quadrangulares: omnes species tutò possumus extrahere, sed bilinguem non tutò possumus: at sunt sagittæ appellatæ barbulatæ habentes in extremo gemina spicula, quæ infiguntur carni, si uolumus extrahere, & contraniruntur. & hæ sunt diabolicæ, unde obseruandum est hoc. & ultra hoc aliæ sunt habentes caudam, qui est apex ferreus, qui inseritur in lignum, tubulus est alter, quum est foramen infixum ligno. si est ueluti clauus infixus ligno, sunt sagittæ Turcarum. aliæ habent calicem, & tubulum, & tales sunt sagittæ nostrorum Zafforum, & rarò fit quin Zuffa fiat inter scholares, & Zaffos tempore noctis: illę ergo, quæ habent tubulũ facilius extrahuntur, per instrumentum oportunum. Turcę uerò ita imbecilli glutine cõiungunt ferrum ligno, ut statim dissoluatur quũ corpus humanum sagitta intrat madefacta sanguine: ego habui prę manibus quinque, aut sex, quas eduxi. sed Zafforum sagittæ faciliùs extrahuntur, quia clauo infigunt tubulum, etenim sunt boni uiri, nõ quærunt ex toto humanam perniciem. Itaque si uidebitis sagittam non barbulatam, & non habentem caudam, per partes per quas intrat extrahenda erit. & uiceuersa si spiculum habuerit caudas illas siue hamulos illos, potestis incidendo alia ex parte extrahere, dummodò uenæ uel nerui non fiat fractio.

*Quæstio an sint integra spicula extrahenda. Cap. XXVII.*



E tertio an sint integra spicula extrahenda? in hoc casu scitote quòd omnia frangibilia (quantùm fieri potest) integra sunt educenda, ueluti uitra, & ossa. & hæc est ratio, quia in paruula frusta comminui solent, & sic non possunt capi; & quod dixi de hoc, multò magis dico de glandibus plumbeis, non tentat e fracturam, quoniam facillimè plumbum deraditur, & remanent rasuræ illæ impedientes consolidationem: si autem non possumus integra educere sine dolore, minuenda sunt. & in hoc casu in barbulatis sagittis, uideamus si possumus torquere, & frangere.

*An recta, an transuersa uia educenda spicula. Cap. XXVIII.*



ED de quarto an recta, an trãsuersa uia educẽda spicula, non possumus docere: oportet enim vulnus uidere, tamẽ & in hoc casu habemus præceptũ, & hoc est, quòd debet semper cõstitui in eo habitu, in quo erat, quando erat vulneratus, collocate ergò vulneratum in eo situ, in quo erat quãdo ictum percepit. Secundum præceptum est, ut ligetur, uel comprehendatur à fidissimis amicis, qui fortiter teneant brachia infirmi, coxas, & tibias: oportet autem esse ministros robustos, & ualidi animi, ne æger dimoueatur, & ita succederet conuulsio: posset enim in illum locum concurrere corda, aut neruus. Hoc non dicẽdum in glandibus plumbeis. Erat scholaris custos meretricis Brixiensis nomine Borgomẽsis cuiusdam: accesserunt Genuenses ut tollerent eam. Habebat Brixiensis sclopettam quæ casu Ancillam percusit glandes (hos uocant dados) ingressæ sunt femora, & ego extraxi omnes à pede, quo deuenerunt: ergo collocandi sunt infirmi in eo loco, & dispositione, in qua erant, quum uulnerati sunt, sed non in glandibus plumbeis id tenendum, quia nunquam recta uia procedunt, uerum obliquè deciduni in partem aliquam curuè respondentes ingresui.

Quo

mitate,& cum hac cauitate caudam ſagittæ impellere poſſum: ſi autem oportet tubulum habens ſagittam extrahere, habemus impellens ſurdum,quod non habet cauitatem, nam ſurda dicuntur,quę foramine carent:hoc inſtrumentum habet aciem,quam habet ſagitta infixa ferro, & ita ope huius expello ferrum uel ad ſiniſtram, uel ad dextram; uel directè,uel tranſuerſè. Vndecimum eſt forfex inci- 11
dens ſagittas,& hoc eſt acutiſsimum, & in uſu uenit in incidendis laminis ex lorica, & in alatis ſagittis; hoc autem non poteſt fieri, niſi forfice calibeo fortiſsimo. Duodecimum eſt forfex ſemilunaris Aui- 12
cennæ, qui eſt ſpecies tenaculæ: oportet ut ſit tortus in modum roſtri coruini,ideo roſtrum coruinum uocatur,& iſte forfex factus eſt, ut in vulnere circulari globuli plumbei obliquè infixi extrahātur. De- 13
cimumtertium eſt forceps cannulatus, tenacula cannulata uocatur: hæc debet habere ambas partes cannulatas,& ad extrahēdas ſagittas barbatas deſeruit,& commodiſsimè facit. Addatis decimūquartum 14
forcipem anſerinum: tenacula anſerina dicitur, quia ita curuata eſt in extrema parte,ut rotundum, & cauum habeat, ubi delitere poſsit globulus plumbeus, in ſuperficie interiori aſpera ſcobinæ modo; & ita eripit globulum, ut dilabi non poſsit; in ſuperiori parte leuis eſt, & pulita.Hac tenacula lapillorum extractores utuntur à ueſsicis. De- 15
cimumquintum eſt anſerina tenacula non dentata; habēt enim etiā dentatam, non dentata utuntur ad extrahendos globulos faciliores. Decimumſextum eſt Alphonſinum organum,quod excogitauit Al- 16
phonſus,qui Romę artem exercet,quod triplici digito conſtat,& habet anulum, quo conſtringitur. ita collectum imponimus uulneri. quum uenit ad globum plumbeum trahimus anulum, & ſic aperitur; capta glande iterum deſcendente anulo extrahimus. Addatis deci- 17
mumſeptimum ſpatam anſerinam quoddam inſtrumentum ferreū ſimillimum Auriſcalpio ſed maius eſt, & habet ſimilitudinem roſtri anſerini in extremo, & eſt exaſperatum. Decimooctauò habemus 18
ſpecillum anulatum. Habemus ſtilum,uel ſpecillum,in cuius extrema parte eſt anulus magnitudinis illius,qua poteſt eſſe globulus plūbeus. formate anulum ex ferro magnitudine globuli; in ſuperficie exteriori teres eſt,in inferiori eſt planus. Impellimus hunc uſque ad globum, & tunc mouemus globum uſque in cauitatem anuli, unde poſtea extrahimus. Decimumoctauum cannula eſt cum terebello, 19
per quam fiſtulam genus terebelli immittitur,& utimur, quum oſsi infixus eſt globulus.Imponimus fiſtulam,ſupra glandem,intra fiſtulam terebellum immittimus, & ſic terebramus glandem,& extrahimus.

mus. Imponimus fistulam, ne fugiat globus, & ut in medio terebretur.
20 Vigesimum est balista, quam quidem trahunt', & apponũt ad os, & cordæ applicant instrumentum, quo globum terebrarunt, & sic uiolenter attrahunt, explosione illa ictu uiolentissimo cordæ & arcus educit.
21 Vigesimumprimum graphisius dioclis à Celso lib. 7. cap. 6. descriptum, & est pulcherrimum instrumentum nullumq́; isto præstantius ad extrahenda spicula, & sagittas. Notate, castigetis quendam locum, quum dicit [in parte inclinata, quæ perforata est] expungite illam uocem [quæ] quia oratio erit plana: tantum uim habet in corrigendo hoc loco illud [quæ] quòd nõ poteritis illud instrumentum intelligere, nisi illa detracta. Ista sunt instrumenta oportuna uaria excogitata, & à uobis etiam excogitanda: sed qui isthæc habuerit poterit diligentissimè mederi.

## *De unione. Cap. XXX.*



ERTIVM in curandis vulneribus erat unio, compositio, vel coniunctio partium vulneratarum; nam statim, quum vulneratur quis: partes vulneratæ aperiuntur, quas oportet primò coniungere, vt ait Gal. Hæc actio Medici solius est sine ope Medicamentorum, & naturæ, ideò multum in hac actione videndum, & sunt imprimis duo obseruanda. primum est lenitas; secundum æqualitas. lenitas est, vt leniter adducat partes, non subitò, sed sensim, & sensim. Aequalitas est, ut ex æquo trahamus labia vulneruir. Tertium, ut diligenter obseruemus, an partes ex æquo molles, an vna hæreat ossi, altera minimè: nam si ex æquo molles fuerint, ex æquo sunt trahendæ, & si vna naturaliter dura ossi hærens, altera mollis, illa solum extrahenda: si autem frigore ambienti riguerint partes, uel Medicus optimè, & æqualiter non coniunxerit, in eo casu accipiemus aquam, & oleum, hydreleon à Græcis dictum, postea calefaciemus, & sic partes iungemus uapore eleuato, vel assumamus spongiam, & ita possumus perfundere vulnus. non fit hoc aqua & oleo, ne oleum cadat vulneri inimicum. In hoc tamen summa est diligentia obseruanda à Medico, vt mitis sit, quãtùm potest: non enim vites, non segetes; sed hominũ membra tractat. Dixi oportere æqualitatem seruari, quoniam si dissimiliter coniungantur, & inæqualiter partes, succedunt rugosæ, & inæquales cicatrices: oportet ergo æqualitatem respicere, quæ consistit primùm in superficie

3. Meth. 4.

exteriori

exteriori, ita vt superficies unius partis respondeat alteri parti; & ita moneo, ne à medio vulneris consuere incipiatis, hac ratione, quoniã nostri Chirurgici, vt fluxionem sanguinis inhibeant, quę est in medio vberior, semper à medio incipiunt: sed supprimendi artem habentes, quam ego docui; qua abluere vulnera, & sanguinem detinere possumus; non faciatis hoc, sed suturam ab extremo incipiatis. Documentũ aliud pertinet ad totum vulnus, ad partes intimas, & extimas. Ego deuouerem caput, si ex centum uulneribus duo consuuntur, & correspondeant partes inferiores superioribus, intimæ extimis. satis eis est, vt consuant, imò in fundo ponunt linamenta: sed oportet ut intimæ partes consuantur: ut si sint carnosæ, ego suo intimas, & profundas partes: sique hoc fuerit factum seruata æqualitate, hoc bene erit. Quartum caput est, ut postquam expurgauerimus, & adduxerimus labia, iuncta conseruem is saltim per spatium quatuor dierum in quo tempore non solùm solet fieri agglutinatio, sed confirmatio etiam. si agglutinatio fit 24. horarum spatio, confirmatio sequetur in secundo die: si agglutinatio fit in secundo die confirmatio fiet in tertio; si agglutinatio in 3. confirmatio in 4. & non potest quartum diem ascendere, & transgredi. ista dicitur conseruatio unitatum partium.

*De deligatione.* *Cap. XXXI.*



HAEC autem variis modis fit, deligationibus, veluinculis, glutinationibus, infibulationibus, suturis, & medicamentis: quinque hæc sunt recedente Medico, conseruantia vulnus: instrumenta, quibus fiunt hęc, primum sunt fasciæ, aut vincula. Secundũ sunt acus & filum. Tertium sunt genera glutinis. Quartum sunt emplastica medicamenta; addamus plumacceolum, quo conseruantur vulnera. & primum agamus de deligatione, quæ facilis est, & commoda, & ad eam recurramus, quum possumus, quia facilis est, & non torquet ægros. in hac deligatione oportet scire primò quomodo fieri potest. Secundò genera deligationum. Tertiò materiam deligationum. Quartò quid agere possunt in vulneribus deligationes. Quintò quid obseruandum à Chirurgo in tractandis istis. Et primùm quo ad naturam quæ à Gal. epidesis vocatur. Gal. vtitur hac voce desis, quæ est ligatio carnis; epidesis, quæ est ligatio, quæ fit ab instrumento extrinseco: est etiam comprehensio, & collectio partium, quæ fit ab instrumento extrinseco apto ad colligationem. Genera uaria sunt; quoniam deligamus aliquando instru-

menta obuoluto unica deuolutione, & uocatur deligatio unius. aliā facimus plurium: aliam simplicem, aliam compositam: simplicem uocamus quando omnes reuolutiones sunt eiusdem naturæ, ut quū puer à nutricibus ligatur. quando autē uariamus, ita ut una sit unius, altera alterius generis composita uocatur. aliæ sunt rectæ, aliæ obliquæ; aliæ laxæ, aliæ arctæ: aliæ latæ, aliæ angustæ; aliæ æquales, aliæ inæquales; aliȩ similes, aliæ dissimiles. ex his simul compositis ortæ sunt uariȩ deligationes. & primam asciam uocamus; quam nemo ante me optimè nouit, & tantæ est utilitatis, ut ego in uulneribus crurium multos à morte liberarim. quoniam uulnera crurium sunt periculosa; non enim oportet, ut moueantur partes, & hanc ligaturam sceparnon etiam uocare solent. altera est, quæ umbo appellatur in uulneribus capitis, & faciei deseruiens. tertia uocatur oculus, quator in superioribus partibus, quarta species rhombus est, quæ etiam est in usu in capite. quinta initimon, semisectā ligationē uocant. sextū genus est ..... Materia autem qua fiunt ligationes oportet, ut sit oportuna, & triplex à Gal. proponitur, altera est facta ex lino, ex canape. Secūda est lanea facta ex lana. Tertia est assumpta ab Hipp. fascia ex membranis, & cartis, qua usus est in uulneribus oculorum & narium. Verùm addimus quartū ex codone bombace, cuius materiæ habemus uincula oportunissima, quintum est sericina materia, quam setam appellamus. sunt aliqui, qui inuenêre genus oportunissimum, capiunt enim comam canapis, quæ pectinata est, & purgata à stuppa, postquam imposuêre medicamentum apponunt comā hanc supra uulnus; & ego aliquando in uulneribus crurium, & femorum usus sum coma ista. Sed oportet uos eligere materiam oportunam; nam non omnis fascia bona est: habentes enim filos crassiores in se, non sunt oportunæ. sed si uultis obseruate superstitionem meam in his fasciis: & possum uerè dicere, & testor Deum, cùm uiderim hanc fasciationem penitus deperditam (quoniam omnes iam negligunt) nixus sum recuperare. omnes distortas partes his fasciis reduco per deligationes, ego his plurima feci in uulneribus. non est ergo superstitio. superstitio est illa eorum qui nolunt sumere ex camisiis, ubi minxerint mulieres. sunt aliquæ mulierculæ, quæ mihi quærenti fascias, dicunt, *Che non son miga di donne*. Ego rideo, & dico quòd de illis quæro. Opus est etiam habere rationem numeri, ut tot sint fasciæ, quot requiruntur: addatis secundò longitudinem. Tertiò est puritas obseruanda: sed quum estis in bello, quando quis est uulneratus sumite eius camisiam à parte inferiori ad brachia usque ascendendo,

Materia.

Obseruanda circa fascias

do, si oportuerit. Sed, si potestis cum hoc seruare munditiem, & puritatem, seruate. Quartò lenitas est adhibenda ut sint tenera, mollia, & æqualia ligamenta. Quintò est tenuitas, ut fasciȩ sint tenues, ac tritæ, & consumptæ, non nouæ, & robustæ. Sextò addatis æqualitatem, in Hetruria utuntur fascijs, quæ sunt à principio largæ tendentes in acutiem in fine; oportet, ut sint in principio, medio, & fine æquales. Septimò ut sint simplices, ut non habeant filos inæquales. Octauò addatis integritatem, ut non sint fractæ. Nonò ut structura non sit uaria; sed eiusdem naturæ, uel uariæ naturæ, prout requiritur. Si uolumus robustissimas fascias, per rectum solemus scindere, idest per ductum staminis; si molles per ductum subtegminis; aliquando oportet, ut sint discissæ per obliquum; quando cupimus canalē in medio

*De utilitate fasciarum.* *Cap.* XXXII.



Ddatis ad quē usum debemus parare deligationes. Tot nostri recentiores assumentes ab Auic. triplicem exponunt fasciarum usum: alterum incarnatiuum, & sic deligationem uocant incarnatiuam: alterum expulsiuum; & sic deligationem uocant expulsiuam. Tertium retentiuum, & deligationem uocant retentiuam; quia apponimus parti, quæ indiget retentione. Verùm ex Gal. & Hipp. quartum addimus, quum nos uolumus seiungere partes coniunctas. Addamus quintum, qui dicitur usus directiuus, & fascia dirigens, intorta, siue directiua uocatur. Sextò quando uolumus prohibere abscessum ne fiat in uulnere, & uocatur prohibens abscessum. Septimò quum uolumus facere apostema, ut colligatur materia ipsa, & ista uocatur deligatio abscedere faciens. Vltimò quum sunt partes inæquales altera eleuata, altera depressa, fascia æquamus, erit æquans uocata. Ex his octo non omnibus indigemus in uulneribus, sed quatuor tantùm. Primùm incarnatiua illa, & est, quæ conseruat partes uulneratas, ut possint agglutinari, & hāc habentia labia coniungentem uocauit Hipp. secunda est illa, quæ retentiua uocatur, quæ continens etiam solet appellari. tertia expulsiua, quarta, & ultima est, quæ prohibet abscessum. 4. Ga. lib.

*De ligatione incarnatiua.* Cap. XXXIII.




E incarnatiua dicamus priùs, quæ dupliciter ſolet fieri: primò per faſciam duorum capitũ, ita ut pars media ſtet in parte uulnerata, & duo capita coniun gantur. ſi uulnus eſſet in interna parte brachij ſumerem faſciam duorum cubitorum,& mediam par tem applicarem exteriori parti brachii; & poſtea obuoluerem capita ſupra uulnus.Hæc dicitur faſcia gemini prin cipii: quia; poſito medio faſciæ currunt capita faſciæ, & ſicuti ſtringuntur capita ſtringitur uulnus. In qua aduertendum, ut non ſit lata, ut latum eſt uulnus, nec longa, ut uulnus: nam cùm recurrunt iſta capita, duplicatur faſcia, & ſic fit latior: & ideo, ne rugæ contrahantur, non debet eſſe lata uti uulnus,ſed ſecundum tertiam partem uulneris minor, non debet eſſe lata per medietatem la titudinis uulneris,quoniam oportet, ut una pars ſemper ſuper aliam cadat. Hicq; eſt potiſsimus uſus deligationis. Cui ſecundus modus adiungitur, qui fit unico linteo, quod ſit latius, quàm ſit longum uulnus: quoniam medium parti ſanæ apponimus, & applico ita, ut capita concurrant ſupra partem uulneratam, poſtea linteum ſuatur,ita ut ſutura tranſuerſa ſtringantur partes ſupra uulnus, qui modus nõ eſt ita accõmodatus ut primus, tametſi partes conſeruet; oportet,ut diſſuamus ſemper ſuturas,ergo quoties oportet uti, utamur primo modo faciliori.

*De ligatione retentiua.* Cap. XXXIIII.



Ltera deligatio erat retentiua facta ad retinendum ea quę ponuntur ſupra uulnera ne cadant; & iſta facit ad continenda ſplenia, medicamenta, ſtuppas, linteamina,& ſimilia.Hæc ſolet fieri,uel unica, uel pluribus ligationibus,omnibus tamen laxis,ne con ſtringat, nã efficeret aliud uel exprimeret, uel,&c.

*De ligatione expulſiua.* Cap. XXXV.



Xpulſiua alia huic ſuccedit; quum timemus ne colligatur aliquid in uulneribus cauis, iſta deligatio fit. Oportet, ut in omni exprimenda materia obſer uetis duos terminos à quo,& ad quem. His etenim non ignoratis,deligationem ſcietis. nam ſi à ſuperioribus uultis exprimere, debetis à ſuperiori incipere:

pere: sed hoc rarò accidit cùm semper materia declinet: ideo ab inferiori fienda: sed oportet deuincire exprimendo partem sanam, & sensim ab inferiori parte ueniendum ad uulnus, ubi sistendum. At pulcherrimum addit Guido, quòd ista deligatio debet fieri incipiendo ab inferiori parte sana ad uulnus. Cùm sumus in uulnere, ligetur una aut duabus ligationibus laxis, & postea sursum ascendat fascia ad partem sanam ut impediat materiam fluentem, & ita eadem fascia, exprimemus materiam, & impediemus simul eiusdẽ fluxum.

*De deligatione prohibente apostema.* Cap. XXXVI.



Sus tertius deligationis est prohibens apostema, abscessum: quum adest dolor in uulnere, uel timemus, (quum adsit cachochimia, & abundantia malorum succorum) apostema; utimur deligatione incipiendo obuolutiones fasciȩ supra uulnus; & postea ascendimus usque ad articulum ultimum, & partem sanam, uel usque ad primum, & sic prohibetur materia. His ergo speciebus deligationum habemus opus, ad agglutinandum, ad retinendum medicamenta, ad exprimendum, atque ad retinendum.

*Quid debet obseruari in deligatione.* Cap. XXXVII.



Erùm oportet quintum caput seruare; quid debet in deligatione obseruari. Primò respondet Hipp. ut citò agat omnia; & ex hoc exercitatum ab inexercitato chirurgo cognoscimus. Secundò, ut omnia faciat sine labore suo, & ægrotantis: nam sunt quidam ægri in lecto quos oportet deuincire; & ideo attollendum corpus sine labore, ne sanguinis fluxus succedat, uel deliquium animæ patiatur, & alia incommoda. Medicus etiam non laboret; sed ita se aptet, ut commodè omnia faciat. Hinc est, quòd paruus chirurgus oportet consideret an possit appropinquare parti; & si longus an possit curuari ad partes: laboriosi actus faciunt Medicum quiescere in medio actionis, & sic malum sequeretur. addit Hipp. ut expeditè faciamus. Chirurgi parant fascias ex conscissa tela; adsunt fila quædam, quæ excerpantur; his enim non remotis semper impedimentũ deligationis aduenit: per expeditam ergo deligationem intelligit Hipp. ut fila remoueamus: nam semper obseruandum,


uandum, quum eſt aliquid obuinciendum decem obductionibus, ſi non eſt impedimentum æqualiter, & moderatè facimus: ſi ſunt impedimenta adhibemus uim, & ſic non poſſumus æqualiter obuincire; ſed nimis ſtrictè ligamus. Habeo exempla quotidiana: ſi quis æger decumbat, & uolo thoracem obuincire, ſi traiicio ſub eo faſciam dum iacet ſemper clamat, quoniã oportet inferre uim faſciis. Addit Hipp. ut deligationes non ſint aliæ rugoſæ, aliæ planæ; ſed rithmus, & numerus, & proportio ſeruanda. Addit e, ut quadrent faſciæ: trunco latæ, femori ſtrictiores, brachio ſtrictiſsimæ, digito multò magis anguſtæ conueniunt. non ergo ſemper utamur faſciis puerorum, ferè de nouo faciamus. Hæc pertinent ad faſcias.

### *De plumaceolis.* Cap. XXXVIII.



Diximus etiã non ſolùm faſciis conſeruari partes, ſed puluillis, plumaceolis dictis, qui ita dicuntur, quoniam ex pluma fiunt: ſed Antiqui non habebant uſum hunc: ſed quandoque lana, quandoque ſpongia; quandoque ſplenijs utebantur; quæ erant multiplicata multiplici repleta materia. Noſtri autem utuntur his, & appellant nomine plumaceorum, & ita uocant omne inuolucrum ad ſeruandas partes oportunum. Materia eſt uaria nunc ſtuppa, nunc linteamina inuoluta, nunc lana, nunc coctone, ſatis eſt quòd ſit tumoroſum. Sed figura multiplex, triangularis, quadrangularis, circularis & depreſſa, circularis, & rotunda.

### *De laqueationibus.* Cap. XXXIX.




Sed hic uſus conſeruandæ partis unitæ non eſt ſimilis: aliquæ ſunt partes, in quibus faſcias oportunè nõ poſſumus applicare, ut eſt in facie, in genis; oportet enim ægrum comedere, neceſſe eſt ergo conſeruare partes. conſutiones non ſunt oportunæ in facie, quoniam faciunt nouas cicatrices; & ideò ſecundus modus eſt inuentus, quo laqueamus uulnera: præterea non omnes ſunt conſtanti animo, & ideo nolunt conſui, ut ſunt Principes, & mulieres; idcirco ad laqueationem ueniendum, quæ eſt, quando quaſdam telas applicamus, alteram in parte ſana uulneris, alteram in alia parte uulneris oppoſita, & ſic laqueis utimur; quia hoc modo

modo fit coniunctio partium; & dum contrahimus telam, contrahuntur partes. In hac applicatione tria obseruanda: primum præparatio telarum; secundum est instrumentum quo applicantur; tertium est modus: & primùm semper deligetis duas portiones telæ robustæ, & ualidæ, æquales, non asperas, ne impediant agglutinationem. Secundò ut telæ in ea parte, quæ debet esse propinqua uulneri sint ita paratæ, ut filamenta nō cadant, consuite, & complicate eas, ne cedant ligamentis; in altera parte, qua respiciunt partem sanam, faciatis, ut sint molles, & ueluti excerptæ, quoniam illæ multùm faciunt ad applicationem, quum medicamentis detinentur. Si tela non esset fimbriata, forcipe secate, ut dilatare, ac duplicare possimus; nā sæpè in partibus inæqualibus oportet collocare has partes extremas respicientes partem sanam. Addatis primum, ut huiusmodi telæ secentur ad formam partis cui debent applicari: si pars sana triangularis, triangulares; si plana, planæ quadrangulares. Vt in uulnere genæ cum telam quadratam non possim ponere, ne cooperiat oculum pono triangularem distendentem usque ad tempus. Quartò notandum, pro unaquaque tela habeat ligamenta; quod est filum solidum, quo utimur ad uestes suendas; & oportet consuere interiectō spatio unius digiti, ita ut filamenta tria, quatuor, quinque, uel plura unius digiti spatio inter se distent. Verùm istæ telæ hoc modo præparatæ sunt apponendæ partibus, & hoc, quodam medicamento, quod gluten, alij collam uocant: igitur glutinoso corpore applicanda lintea. Quæ trium generum proponam uobis: nam bono existente glutine, gloriari debemus, quò robustissimè agglutinentur partes, & ab oleo non dissoluantur. Accipimns gluten piscium, uel taurinum, & soluimus aceto, & coquimus. Vtimur secundo commodiori. Accipimus puluerem tenuissimum & dissoluimus albo oui ad mellis consistentiam, & isto strigmento imbuimus telam. Puluis est: similaginis, idest floris farinæ triticeæ, puleris masticis, puluer. gypsi cocti, boli arm. orient. aloes, pulu. dragacanthi gumm. arab. an. scrop. j. misce, & fiat puluis tenuissimus, quem albo oui imbuamus, & ad mellis consistentiam uulneri applicemus, sed, si sumus in uillis, solent conficere aliud genus glutinis, quod continuò secum ferunt; & est sicuti ceratum durum, igne liquefaciunt, & utuntur, & rec. pulu. mast. drach. 2. bitum. iudaici, curab. an. scrop. j. resinæ colofoniæ drach. j. terenda terantur; in uase æneo eliquentur in igne, & componatur gluten; si est durum infundat unam uel alteram guttam olei rosac. sed absque eo facit effectū. Ego uerò (quum possum) non utor istis nec

primo,nec ſecundo, nec tertio: ego uſu habeo gluten tenuisſimum & ſimplicisſimum. accipio album oui, & contundo diligentisſimè, quo inficio patinam ſtagneam hoc albo oui, & pariter telam: poſtea calcem uiuam non extinctam capio, & aliquantiſper inſpergo ſuper patinam,ita ut uix appareat; poſtremò ſuper patinam appono telam,& hoc modo aliquantiſper comprimo, ut puluis hæreat telæ,& hæc ſuperat omnes alias parationes glutinum,quoniam tenacisſimè hęret. Et dum inſpergo puluerem,ſi copioſus uidetur, bucca ſufflo. Et hæc agglutinatio madefacta non tollitur,& ſuperat omne gluten. In applicatione uidete ne tangant uulnus telæ, & diſtent à uulnere.

## *De ſuturis.* Cap.



SI uulneretur particula aliqua corporis humani docet methodus hæc,ut diſperatum uniatur, & hoc duplici ratione, (ut ait Galenus) aut per primum ſcopum, quæ agglutinatio dicitur, aut per ſecundum, quando medio quodam coniunguntur partes, & hæc eſt caro, & ſiſarcoſis, & ſcopus ſecundus dicitur:prior autem ſcopus,à natura obtineri ſolet; quando partes molles ſunt ſeparatæ. Non faciet autem hoc natura, niſi optimè expurgetur uulnus excremento repletum. Si uerò ſit purum,nihil fiet, niſi in tali diſpoſitione conſeruetur: tertiò oportet,ut coniungantur partes,& conſeruentur coniunctæ: opus naturæ eſt agglutinatio: coniunctio eſt opus Medici,& inſtrumenti; & hoc aliqua ex parte dictũ, aliqua ex parte dicẽdum eſt:dictum eſt de ligaturis,& glutinibus,tertium relictum erat ſutura.De ſuturis igitur tractemus: in quibus quatuor ſeruanda: primum,ut uideamus,quid ſit ſutura; ſecũdum, quot ſunt genera ſuturarum; tertium quibus inſtrumentis, & qua materia conſuendum: quartum quid obſeruare debet Medicus, quando

Quid ſutura. ſuit. Et primum explicemus,quid per ſuturam intelligamus. Per ſuturam intelligimus compoſitionem in partibus corporis humani, quę ſit medio filo, & aut in modum ſuturæ pannorum,quia aliquando ita copulantur filo, & acu, uti panni, & ideo compaginationem

Quot genera. hanc ſuturam uocamus. Huius compaginationis plura ſunt genera: primum eſt,quod ex toto reſpondet conſutioni pannorum: reuocate in memoriam ſuturam tunicæ, ubi ſutor ab una parte incipiendo ſenſim, & ſenſim continuando procedit uſque ad extremum, & illa continuata ſutura dicitur; ita nos in uulnere nunquam reſecto filo,

ſed

ſed integra manente ſuimus uulnus integrum. Et hæc uia non eſt per petua: hac nõ ſemper utimur. Sed in illis uulneribus, in quibus tenue corpus ſuendum, ut cutis ut quando glandulam canceroſam extrahimus, conſuimus inteſtina, quæ conſtant tenui tunica: præterea quan do ſecamus uaricem, uel arteriam utimur hac. Et ideo hæc eſt norma communis, quum tantùm corium ſuendum, ſi eſt uulnus lõgum, huiuſmodi utamur conſutione; hæc eſt prima conſutionis ſpecies, quæ dicitur uerè ſutura. Alia eſt ſutura, in qua quamuis pluries perforemus labia uulneris, & pluries traiiciamus acum, tamen non eſt unica ſutura: quoniam acceptis capitibus fili traiecti non perforamus rurſus, ſed alligamus capita, & addimus nodum, & ſecamus; & tunc iterum perforamus uulnus, & ſimiliter faciemus ſecundò, & tertiò, in alio, & alio loco &c. Hæc habet nomen puncti, punctationis, quoniam facta perforatione colligimus extrema fili, quæ nodamus. Hęc numeratur inter ſpecies ſuturæ à Gal. 6. meth. 4. & uocatur à Celſ. lib. 5. cap. 26. fibula & anctir à Græcis ipſis. anctir enim Gręcè, Latinè fibula eſt. Vocatur fibula quoniam ſicut in fibulandis caligis ueluti anſa quadam colligimus cingulum, ita in uulneribus. Sed not. hoc, quòd omnes Medici ſentiunt aliter, & aliter intelligunt. Guido per fibulam intelligit inſtrumentum quoddam, quod ha bet geminum hamum in extremo utroque. Videte tõſores pannorũ lancorum habent ſcamnum, ſupra quod extendunt pannum, & habẽt inſtrumenta hamata, quibus extendunt pannum, quem ſcamno iungunt mediantibus his inſtrumentis, alter enim hamus panno, alter ſcamno hæret. Hæc inſtrumenta uocantur à Guidone fibulę, & à Re centioribus omnibus; nam ſi in aliqua parte eſſet uulnus, hoc inſtru mento cõiungerem labia. Ioan. Tag. in ſuo opere quod fecit aſſumpta materia à Guidone intelligit hoc inſtrumentum, uel æneum, uel ca libeũ. Additur authoritas Ioan. Cornarij in literis Græcis exercitati, qui in com. in 2. Gal. de comp. med. loc. dicit fibulas eſſe hamos uel æneos, uel calibeos. Ex quo, ab his falſa uidetur ſequi mea opinio, quæ dicit, quum ſuuntur uulnera per interualla dicitur per fibulas. Vnde notate quòd fibula, quæ anctir à Græcis dicitur, apud Latinos plura notat. Aliquando enim intelligimus quoddam inſtrumentum æneum, quo pueri antiqui prætextam iungere ſolebant, uel caligas, uel huiuſmodi indumenta, quæ penitus reſpondet noſtræ fibulæ quam uariis nominibus uocant in Italia. Patauini ſcoua. & hæc eſt fibula antiquorum, & hac fibula cingulum, & corigias iungere ſolemus ſed effigies Antiquorũ differt à noſtra, prout eſt uidere in mar-

moribus,& picturis. Prętereà per fibulam anulum quendam intelligebant, quo præputium colligere solebant, ut uix egredi lotium posset. Antiqui enim solebant seruare molliciem in puerulis, ac etiam uocem, quæ humido seruari solet: humido absumpto deturpatur: & ideo ne pueri uel tractantes penem, uel habentes rem cum mulierculis semen mittendo humidum deperdentes molliciem deperde-
lib.7.c.25. rent præputia fibulabant. Et tradit modum Cels. quo possimus infibulare pudendum & docet modum perforandi, & filo seruabat donec fieret foramen, & remaneret. Hoc habet Martialis lib.9. epigr. ad Crestum. Hæc erat secunda fibula Antiquorum. Apud Medicos etiam erat tertia fibula, quæ nihil aliud erat nisi filum perforans partes nodo collectũ, & hęc est sutura, de qua loquor, ideo Antiqui non respexerunt ad hanc tertiam fibulam, & non poterant credere, quòd
3.meth.4. esset sutura: & mouentur authoritate Gal. dicentis labia uulneris iungẽda uel deligatione, uel sutura, uel fibulis: per istam ergo distinctã elocutionem Gal. arguit fibulam distinctam à sutura; præsertim cum adiungat hoc uerbum [uel omnibus simul.] Verùm dico ego, quòd per deligationem intelligit Gal. illud, quod diximus factum uinculis, & fasciis. Per suturam intelligit primam suturam, per fibulam uerò hanc ultimam secundam suturam quæ non est uerè exactè sutura, ut prior: legite Celsum loco dicto ubi manifestissimè dum loquitur de sutura, loquitur de fibulatione, ubi facit utranque filo, quam uocat acciam: & eandem Auic. appellat secundam infibulationem uinculum factum ex filo: præterea in facienda infibulatione requiritur, ut accia sit tenuis, & non nimis torta; & omnia præcepta, quæ tradit in sutura, tradit in infibulatione, ergo, &c. Addatis secundò, quod non obseruarũt locum Gal. in 2. de comp. med. loc. cap. de plaga, uel contusione ex Archig. ubi dicit, quòd si plaga fuerit cum uulnere pericranei statim deradetis os, deinde coniungetis fibulis labia vulneris, postea dicit, Si sutura non potest conseruare labia, debemus curare uulnus eo modo, quo vulnera hiantia seruamus; ecce quomodo fibulas, suturas uocat; in eo igitur loco fibula, & sutura
6.meth.4. idem sunt. Tertiò non obseruarunt quanta diligentia Gal. præcipit, ut in suendis uulneribus non excitemus dolorem, quæramus filum molle, delicatum &c. Si hoc est: si hamos ponemus ferreos, nonne excitabitur maximus dolor? ergo fibula non est instrumentum nostrũ. Quartò addatis: quando Gal. uult hæc tria suturam, fibulationem, & deligationem simul fieri nonne erit cruciatus intollerabilis? in uulnere enim aliquando quinque, & sex hamis indigemus; & ideò sco-

pus indolorositatis erit sublatus, quē proponit Gal. ergo infibulatio est illud, quod uulgò, pūcta uocamus, & illa potest aptari cum prima sutura, cum deligationibus, & uidete hoc, & obseruate, quia omnes errarunt in hac materia. Tertia species suturæ: solebant Antiqui alio modo suere, ut faciunt fœminæ, quando emendant: quum casu pallium scholaris disrumpitur, nostræ mulieres solent consuere, & suturam illam demendationem uocant, quia faciunt suturam latentem, quæ percurrit ab uno latere ad aliud & filum non egreditur unquàm supra pannum ita aliquando consuunt nostri Medici. Hoc genus docet Gal. 3. meth. & in illo loco. 6. talis consutio fit in abdomine; quoniam in abdomine habemus pinguedinem, & facilitatem substantiæ. Vltimò uos uidistis sutores caligarum, qui perforant utrunque coricem, postea habent geminum filum, in cuius extremo duplex seta adest. Albuc. docet hunc modum suendi, & ista erit quartum consutionis genus. 3. Species suturæ. 4. Species. lib. 2. c. 8 [illegible]

*De vsu suturarum.* *Cap. XLI.*



Vatvor illis generibus suturarum coniungunt Medici vulnera, non vnum tantùm ad vsum, scilicet, vt posſint agglutinari partes diuisæ: sed dum consuunt vulnera, vel ad incarnandum, vel ad retinendum, vel ad supprimendum sanguinem. Semper ad ista tria sutura inseruiet. Si ob agglutinationem fiet, incarnatiua dicitur, & hæc summa cum diligentia fit, & magis strictè sumūtur partes. Alia est seruatiua, uel retentiua dicta, quando consuunt, non vt agglutinentur, sed ne nimis hient, ne nimis dilatentur, volunt in termino mediocri seruare: non nimis hiet, ne refrigerentur partes; non nimis strictè suunt disperati agglutinatione. Tertiam appellant suturam suppresſiuam, & hæc est, vt sanguinem supprimamus, cùm secatur vena vel arteria: consuimus aliquando ad supprimendum sanguinem: ista restrictiua vel suppresſiua dicitur, tamen istæ tres species, quæ nascuntur ratione vsus, posſunt esse in quolibet quatuor generum suturarum.

*De materia in suturis deligenda, & primò de acu.* Cap. XLII.



Acus. POST hæc genera suturarum succedit materia:& primò acus optimè instructos habeat Medicus. Et primò longitudo trium digitorum per trāsuersum est oportuna, vel aliquādo quatuor digitorum, nec debent esse tenues, nec crassi; quoniam cùm oportet filum imponere crassum, si tenues sunt, non possunt pertransire, & cruciant ægrum: sint politi, acies sit triquetra aut quadrangula, vel saltem gemina, quæ faciliùs possit penetrare. Damasco Venetias delatos habeatis: qui ex ciuitate Mediolanensi afferuntur, mali sunt, quia non sunt expoliti: sunt etiā malæ contemperatæ materiæ, & dubium est ne aliquando acies in vulnere rumpatur: materia sit duorum generum. Oportet habere calibeos pro suendis partibus duris: oportet habere argenteos duriores, vt possimus flectere: calibei enim non ita torquentur, quum enim partes cauas suere debemus, nisi habeamus acus intortos, & qui flecti possint, nihil efficiemus, vt in palpebris: sed notate vt fiāt malleo, non lima, vt contundatur argētum; etenim ita fit solidum & durum, ac si esset calibs. Numerus etiam requiritur, vt non habeat minister vester vnum acū: si oportet facere plures fibulas, nō eodem acu fiendæ: quoniam quū filum sanguine erit tinctum, durescit, & sic dolorem parit. In Rusticis non obseruanda hæc, sed in delicatis corporibus. Prætereà oportet conseruare, nam si custodiam non habetis, fiunt rubiginosi, venenosi, & non currunt: conseruentur in fistula argentea inuncti oleo: & notate quòd Medici solent facere hoc, quòd obuoluunt filum sanguineum: & nesciunt quòd dicit Plinius, quòd sanguis humanus sumit pœnas à calibe, & rubiginem excitat.

*De fistula argentea.* Cap. XLIII.



OPUS est etiam habere fistulam argenteam, vel alterius materiæ, in quam iniiciamus acum; quoniam si suenda palpebra, vbi digitum non possem ponere, fistula vterer, in quam aciem acus intorti iniicerem, ideo hæc non solùm acus seruabit, sed auxiliabitur in hoc.

De

## De filo. Cap. XLIIII.



ST etiam materia filũ,& accia dicta à Celso: oportet ut sit robustum filum, secũdò non nimis crassum aut durum; quia asperitate dolorem faceret: crassities impediret facilem transitum. Præterea non habeat nodos interpositos, nec sit putrescibile: quoniã aliquando oportet per decem dies seruare: crucientur vulnerati à repetitis consutionibus: quare nec fila lanea, nec ex bombace oportuna sunt, quia facilè frãguntur & putrescunt. Gal. quũ loqueretur de illaqueatione arteriarum & venarum, quęrens filum, quod solidum esset, & non facilè marcescat, dicebat ꝙ filũ gaetanum, quod ex Galliis afferebatur, erat oportunum. Et huius copia nõ aderat: sericinum apud Romanas matronas inuentũ quærebat: nos sumamus filum factũ ex lino Brixiẽsi: vel recurramus ad sericinã materiã, quæ præstãtissima est, quia non facilè marcesci t, sed sit candidum filũ, non infectũ colore: sed nõ potestis habere oportuniorẽ rubro cremesino, quia adest materia illa rubra, quæ adstringit, & exiccat, & magis adiumenti, quàm damni adfert. Cauete à nigro, inficiente, erodente, & mordicante vulnera. Albucasis lib. 2. cap. 14. meminit capitum formicarum in suendis intestinis, quoniam aperiunt rostrum, & tunc appositæ stringunt, & secantur corpora earũ: ego nondum usus sum, quoniam nõ habemus formicas tam magnas & si haberem non uterer. quia si habemus filum & possumus abstrahere, quid relinquere ibi capita illa? Præterea Albuc. docet ut suamus filo intestini animalium recentium: hoc improbo, si enim subito debemus suere non habebimus ouem paratam, ut mandemus interficiendam ut inde fila habeamus. Præterea Medici solent consuere acubus sine filo, ut colligant partes tantùm, non ut suant sicut sartores, qui imponunt birreto acum, quem extremis partibus obuoluunt filo ne cadat, ita suũt Medici nostri: sed dolorosus usus, & malus, quoniã acus durus est. Alii ut uideantur acutiores (miror equidem) accipiunt pennam duplicem uel triplicem, & scitis quòd in penna est medium durum solidum quod uocant hastam: sunt etiam pillulæ latera les quas tollunt, & restat hastula, tunc partem subtiliorem infigunt acui, & illo perforant uulnus; & tribus, aut quatuor hastis illis firmant labia, & suunt. addunt modum alium, quando filum non oportet secare labia accipiunt stuppam, & faciunt ueluti linamentum, & appellant canulata: postea accipiunt acum habentem geminum filum

Lib. 5. c. 26.

13. Met. ult.

Capita formicarum.

lum & utrunque perforant, aperiunt filum, & canulam apponunt. quando uolumus suere abdomen, ita ut filum non maneat supra vulnus, hæc sutio utilis est,

*Documenta circa suturas.* *Cap. XLV.*



N consuendis vulneribus hoc erat ultimum, ut ea ratione ageret Medicus, quæ præstans sit, & oportuna, ut blandè, & molliter agat, nec acerbè consuat, præterea oportet, ut moderatè stringat: nam si nimis stringeret fieret tumor: tertiò oportet, ut ita suantur vulnera, ne nodi dissoluantur, multa enim pœna afficiuntur miseri ægri, quum oportet resuere. deinde oportet consuere ne tãgat cordas aut neruos subiectos. præterea aduertat ne consuat ligamenta: non quia faciant dolorem ligamenta consuta, sed quia non agglutinantur, ideo in uanum consuimus: quare inconsuta linquenda sunt. Vltimò nota, quòd omnes partes ipsius corporis possunt accipere consutionem: nam sunt aliqui, qui authoritate Pauli nolunt, ut articulorum uulnera & neruorum suantur. Paulus non intelligit hoc, sed uult, ut substantia neruosa non suatur, sed corium suprapositum suendum: nam in omni uulnere semper suatis cutim suprapositam, non partes neruosas subiectas: nam si suetis corium suprapositum dabitis indumentum partibus neruosis, & ita fouebuntur, non infrigidabuntur, & etiam fiet digestio pura: hoc etiam facite in uulneribus ossium, & si partes cauę sui non possunt, oportet enim ut caro concrescat, suite & apponite linamẽtũ, quo materia effluere posſit: in cõsutione prætereà obseruet minister vester, ut nõ accipiat paruam quantitatem labii, ita quòd prope uulneris labium minimam partem capiat, neque adeò magnam quantitatem, nam nimis propinqua secat partes, unde uidebitis cicatrices factas, ex transuerso cicatricis magnæ: debemus arripere labium per spatium digiti minoris. Spatium uerò, quo debent distare fibulæ sit unius digiti uel minimi, uel indicis: dixi minimi in his, qui crassas manus habent: nimis distantes offendunt, quia non bene uniuntur; nimis propinquæ offendunt, quia dolorem inferunt ægris: sed quum carnosum vulnus suitur, non oportet corium solum, sed intimam carnem, saltem ad mediam profunditatem perforare: itaque arripietis carnem spatio digiti minoris: & suetis. Vltimum præceptum tradit Hipp. in lib. de Vlceribus, ut obseruemus an uulnera sint in artubus extre

mis

mis, quoniam tunc efficiendum, ut plurimus sanguis excernatur: si autem fuerit in abdomine non est tutum emittere multum sanguinem: qua ratione? respondet, quoniam tunc sicciora fiunt uulnera, & ideo facilius sanãtur. Sed quęret quis si sano simile est siccum cur non est educendus sanguis in abdomine, sicut in brachiis? hæc est causa, quoniam arctus facilius tentantur à fluxione, quàm uentres, quibus uiget calor naturalis, & ideo oportet, ut brachia, & arctus ualidè stringãtur, & siccẽtur, q̃a maior est arctuũ imbecillitas: addatis aliã rationem, quòd per euacuationem sanguinis siccatur pars: siccatio autem indicatur, sed magis ab una, quàm ab alia parte. In partibus naturaliter siccis semper medicamenta siccissima ponuntur: quum uerò imponuntur sicca medicamenta locis humidis, sicca media imponuntur: sed cum brachia, & arctus siccissima sint, ideo per emissum sanguinem multã exiccationem facere debemus: uentres autem humidi sunt, ideo pauca sanguinis quantitas emittenda: præterea multus sanguis in arctubus suffocat naturam eius, quoniam calor arctus imbecillis est. sed si in abdomine multùm sanguinis aufertur, aufertur pabulum caloris naturalis, qui calor ingens, & ualens in abdomine. His rationibus possumus unire uulnus, & quamuis deligationibus, suturis, & glutine hoc faciamus, tamen utimur medicamentis, quæ habent uim emplasticã, & quia hoc rarissimè fit ideo omittimus.


*Partis temperiem seruandam.* *Cap. XLVI.*



Vltimum caput est, ut temperiem partis affectæ seruemus, quia (ut dicit Galenus) temperies loci habet rationem causæ futurorum, idest ipsa est, quæ illud agit, quod nos tentamus agglutinare, unire, facultas facit hoc, quæ pendet à natura, & temperatura partis: conseruatur natura conseruata temperie. vulneratur manus: quomodo seruatur temperies? quid est tẽperies? respondet Hipp. in lib. de Vlceribus, siccum sano propinquum, humidum non sano. Hæc est temperies partis, siccitas. Videtur monstrum merum dictum Hipp. quid de caliditate, & frigiditate, non ne has seruare debemus, quæ cum sint qualitates agentes, siccitas qualitas est patiens semper? Diuinus ille senex ita dixit, quoniam sicco seruato, seruantur omnes temperaturæ. quum seruatur siccum, semper caliditas, & frigiditas seruatur: nam à gladio non datur occasio nec frigiditatis, nec caliditatis corrũpẽs. sed siccitatis maxima est occasio statim excitato dolore, vulnerata parte, fluit humor copiosus, quæ facit 3. Meth. 9.

cit, ut ferueat humor, putrescat, & corrumpat calorem: uel concrescat, & congeletur, & sic frigiditas & caliditas partis corrumpuntur: meritò igitur tantùm mentionem fecit siccitatis, quia laborante ipsa, augetur frigiditas, uel caliditas: oportet ergo conseruare partes in sua naturali siccitate, quibus seruatis nec frigiditas intēdetur, nec caliditas corrumpitur: caliditas enim & frigiditas non habent propositam occasionem à gladio, & instrumento, sed à laborante siccitate. Hanc siccitatem uariis modis seruare possumus, & præcipuè medicamentis: imponenda medicamenta talia, quæ cōseruent siccitatē istā.

## *Quomodo inueniuntur medicamenta conseruantia siccitatem. Cap. XLVII.*



SEd quomodo inueniam medicamenta hæc quæ hoc faciunt? ad inuenienda hęc medicamenta, debetis in memoriam reuocare, quòd obseruandum est temperamentum corporis uulnerati: quod dupliciter consideratur, uel corporis uniuersi, uel particularū singularum, aliud est unum, aliud alterum. Corporis temperamentum seruandum an ęquale in specie, an inæquale, nam species humana habet temperamentum inclinans ad humiditatem, & tamen temperatum est non ad libram, sed quia constituitur pro norma agendorum pro illa specie: sed si referatur ad animalia humidum est. Hoc est primum temperamentū speciei humanę, quia reperitur in maiori numero hominum, quoniam fœminæ, pueri, & adolescentes habent: aliud est temperamentum acquisitum, quod solet cōsequi ætatem, ut senum: quod solet consequi exercitationes, ut rusticorum: quod solet consequi regiones, ut habitantium calidissimas oras. Hæc enim uel frigida, & sicca sunt, uel calida, & sicca. Præterea debemus seruare temperamenta partium, quæ omnes propriam habent temperaturam, quæ postea faciunt, ut resultet naturalis temperies. Quærendum ergo an partium temperaturæ respondeant temperaturæ uniuersi? si in fœmina genam, & pupillam capiamus, dico ꝙ sunt illiusmet temperaturę, qua temperata est tota species ueluti uidemus, si accipiamus genam senis, uel partē carnosam: dico, quòd sunt eius temperaturæ, qua totum simul constat, sic in Aethiope etiā & uillico, dico quòd illæ partes sunt eiusdem habitus. Aliquando sunt partes sicciores uniuerso habitu, ueluti genu puerorum siccius est: digiti fœminarum sicciores sunt uniuerso corpore. Hoc consti-

tuto

tuto,habeo fœminam uulneratam,uolo seruare siccitatem partis,ne humectetur, quod indicabit mihi oportunum medicamentum? statim confugio ad temperamentum uniuersum: & dico esse temperatā ratione speciei, sed in se in humiditatem inclinat: respicio ad partē & dico,Et illa pars, ut gena in se respondet habitui totius, ergo ista inclinat paulisper ad humiditatē, & caliditatem, ergo medicamenta leniter siccantia requiruntur, quia in isto excessus non est ualde pręter naturam si est humectata passa est ab affectu simili naturæ suæ. Sed in parte sicca si humectetur indicatur excessus multus, qui oppositionem multam indicat,ideo imponā in uulnere puellæ siccans quidē, sed in primo gradu materia hæc erit farina hordei, crocus,thus, furfur frumenti,farina fabarum, chamomelum, eupatorium, adiantum, farina orizæ & similia, quæ non excedunt siccitatem in primo gradu. sed si uulneratus sit,cuius habitus totus siccior sit,uel uulnerata pars respōdens huic habitui, statim recurro,& dico,Hæc pars natura sua sicca est: si non est humectata oportet habere ualens siccum: quoniam tale requiritur in præseruatione, quale in fugatione unius contrarii: ut si excessus magnus siccitatis, excessus magnus debet obseruari in pręseruatione. si ego habeo corpus calidum, & humidū & timeo ne humectetur magis, requiritur siccum unius gradus: sed in præseruando corpus siccum ab humiditate debemus uti sicco in secundo gradu: in rusticis igitur,in senibus, in uiris habentibus habitum calidiorē, & sicciorem, si uultis seruare habitum, utimini siccis in secundo, quoniam hæc conuenirēt uniuerso habitui: quærite etiā sicca in secundo gradu, quum puer uulneratur in articulo,uel neruo, sed in sepe oportet deuenire ad siccantia in tertio. Respectu ergo habitus communis, uel partis respondentis habitui communi, si erit uulnus applicate sicca in primo: rursus in uulnere respectu habitus uniuersi,qui siccior sit,utemur siccis in secundo: si sit pars siccior utemur siccis in tertio gradu.

*De alio usu medicamentorum siccantium.* Cap. XLVII.



Verū cùm imponimus medicamenta siccantia, non solùm seruāt, ut humidior reddatur pars, sed oportet etiam,ut iuuent. uult natura iungere partes, in quibus est humiditas: quæ quum iuxtà ponuntur, illa humiditas ultro citroque labitur, & sic spiritus defluit, illa humiditus siccatur,quæ est,uti gluten quū

concrescit, & sic colligat partes. Quis est effector ut concrescat substantia? Natura, & nos seruantes siccitatem ne humiditas impediat. Medicamenta auxiliantur, quia faciunt siccitatem, ut substantia siccior & tenacior fiat. ergo non solùm siccitas requiritur, ne humidum ueniat, sed etiam, ut auxilietur agglutinationi. Verùm oportet obseruare partis siccitatem, quia semper paulùm debet esse medicamentũ siccius, & ita in mollioribus erit siccũ in primo accedente ad secundum, in secundo genere erit siccum in secundo procedẽte ad tertium: in durioribus erit in tertio procedente ad quartum. Debetis etiam scire, quòd quamuis multa agamus, ne sanguis fluat, tamen semper fluit, nec ita ualidum est medicamẽtum, ut siccet sanguinem: non solùm ergo medicamentum debet siccare, sed impedire sanguinem, & hoc fiet, si habebit facultatem adstringentẽ, constipantẽ, & sic efficiet, ut tantùm materiæ fluat, quantũ necesse est: quũ ergo inuenietis apud Gal. medicamenta glutinatoria debetis intelligere ut respondeant siccitati partis, & adstringant, quod enemon appellatur; quia imponitur uulneribus recenter factis, ut agglutinentur. Glutinatio ergo fit à natura partium diuisarum: fit autem quia humiditas partium glutinat partes; uertitur enim in speciem collæ. Hoc autem facit natura adiuta à Medico, non manu, sed medicamento imposito; & hoc duabus rationibus, aut seruata siccitate, aut humiditate remota: seruatur siccitas, quia humiditate adueniẽte corrumpuntur partes: oportet ergo siccantia medicamenta imponere: ista indicantur à qualitate subiectarum partium: si erit particula siccior temperie specici erunt imponenda siccantia in principio secundi gradus: si adhuc siccior imponenda medicamenta sicca in secundo, si siccissima in tertio gradu incipiente. Aliud adhuc adiumentum requirit natura, quia fluet multus sanguis in uulnera, opus est, ut impediatur, & hoc fiet si medicamentum erit adstringens, stipans poros: istæ igitur indicabantur qualitates medicamentorum, quæ glutinatoria dicuntur; quoniam iuuant naturam agglutinantẽ. Cruenta etiam solent uocari, quoniam statim cruentis uulneribus imponuntur: est differentia inter sarcotica, & glutinantia medicamenta: nam sarcotica, idest carnem facientia satis habent, si conseruent naturam partis; & ideo satis est, si in molli habitu erunt sicca in primo gradu; si in duro in secundo &c. nec oportet, ut sint adstringentia, sed potius, ut aperiant, & præbeant uiam sanguini aduenienti: sed glutinantia oportet esse adstringentia.

Epilogus.

*Aqua frigida, oleum, linteola pura benedicta, & album oui improbatur. Cap. XLIX.*



I, qui utuntur aqua frigida benedicta, oleo benedicto, linteolis puris benedictis, uel albo oui, errant. Tota Hetruria, in locis Aprutij, & Neapolitano regno sunt, qui tentent agglutinationem huiusmodi rebus benedictis & ratione successus, & benedictionis, & ratione authoritatis Celsi uolunt istam esse methodicam curationem. Nã Celsus inquit, Licetq; sine peregrinis, & compositis, & conquisitis medicamentis uulnus curare, imposita spongia, uel linteo ex aqua frigida: ex quo licet aqua frigida agglutinare, & sanare uulnera: quoniam cum opus agglutinationis sit naturæ; Medicus adiuuat eam impediendo ne fluat humiditas, & seruetur siccitas. Sed aqua frigida repellit fluentem materiam, & si præter modum humectata, restituitur. Additur ab illis authoritas: nam habent cantionem factam ex uerbis diuinis, quam nulli communicare uolunt: cui benedictioni tantùm hærent, ut dicãt quòd inuocato nomine Dei solùm, fieri potest, quoniam luto Apostoli sanabant oculos. & qui fidem habuerint (dicit CHRISTVS) maiora ijs facient. Non credo id esse tutum: succedit quandoque proculdubio, & ego testor: sed idem dico, quod de curatione Empiricorum. nullus tonsor est, qui non sanet uulnus, non quia sciunt sanare, sed quia natura nisi certa nostræ ignorantiæ facit, quod facere deberet Medicus. Multoties uocatus uidi medicamenta opposita: quòd methodus sit opposita, clarum est, experientia clara est. Ego uidi sanata uulnera, sed casu, non ratione. Quum irem Romam quidam seruus erat super equum nolentem procedere, & nescio quomodo infixus est gladius cuiusdam Romani pedi serui, ita ꝙ quasi erat truncus pes: ego accepi aquam, & non benedixi: & quia eramus in itinere erant sectæ cordæ, curaui ista aqua manè, & serò abluendo, & sanatus est dum accesimus Romam: repellendo ergo aqua sanat: sed non est tutus usus, dato quòd in corpore non sit plenitudo, non dolor, non fluxus materiæ: nulla est uis adstringens aquæ, nisi dum frigida est: quum calida est, id non præstat, ideo non est tuta. Ad authoritatem Celsi respondeo, quòd id proponit Celsus in leuissimis uulneribus, quæ etiã sanarentur per se, in quibus non est digna cura diligens cum leuissima sint. Ad benedictionem dicite, bona uerba bona sunt, mala uerò mala: sed bonam aquam non faciunt: non nego uim inesse fidei: at Diabo-

lib. 5. c. 26.

Diabolus deludit nos iſtis experimentis. Ad experimenta: ego non adduco; quoniam ſolēt Empirici facere elenchos eorum, quos ſanāt: uellem, ut facerent eorum, quos interficiunt: uulgus facit elēchos eo rum, qui occiduntur à Medicis. Medici eorum, quos ſanant. Periculoſum ex æquo eſt medicamentum aquæ: quoniam gangrenæ ſæpe fiunt, ut ego uidi in curia Principis Salerni huc uenientis, ubi erat quidam ſanans hoc pacto: frigidum eſt inimicum uulneribus, frigidisſimum interpretabatur Gal. in lib. Hipp. Multò minus audiendi ſunt illi qui oleo ſanant cùm humidum ſit, & humiditatem conſeruet: hoc medicamentum aduerſum eſt penitus. Superioribus annis plurimi erant, qui hoc modo ſanabant; ſed poſtea cùm infinita damna intuliſſent, neceſſariam fuit dimittere; quia ex toto oleum contrarium uulneri: impedit enim agglutinationem ut dicebat Gal. & nos ſuprà: aliqui linteolis utuntur, quibus non uſæ ſint mulieres, & poſtea benedicunt, & ſic purisſimis utuntur: quo ad uſum linteolorũ mundorum, bonus eſt uſus: ſed poteſt ſiccare ſuperficiem, non intimam partem uulneris, quia non penetrant: ſi contunderent, ita ut penetraret, poſſem hoc credere: quare in uulneribus alicuius momenti uanus eſt uſus. Eſt Guido, & Raſis, qui utuntur albo oui concuſſo in uulnere, & ſic prima, ſecunda, & tertia, & quarta die, donec agglutinetur uulnus: aliqui puluere maſticis utuntur: quæ ratio medendi non placet; quia in hoc medicamento non adſunt omnia neceſſariò requiſita: quoniam in maſtice licet adſtringens aliquid ſit, ut robur posſit dare partibus: tamen uis adſtringens non eſt ualens, præterea ſi ouo admiſceatur, à Gal. aduertimur, ut quod in uulneribus im-
3.meth.40. ponitur, in tenuem ſubſtantiam redigatur, ut penetret, ſed ille puluis albo oui colligitur, & ſic non poteſt penetrare. Et quamuis Auic. uelit album oui humectare, ego dico ſiccare, & frigefacere, tamen cùm non adſit uis adſtringens, quæ requiritur, ideo non eſt oportunum medicamentum: poteſt ſiccare: hoc album oui non penetrat in profundum, ſtatim ſiccatur, & ideo dico quòd non eſt oportunum album oui, & puluis maſticis. Tu uteris in principio albo oui, dicet aliquis, Nos utimur, quoniam non habemus ſemper oportunum medicamentum, confugimus ad ea, quæ ſunt paratu facilia; & utimur prima die ad ſupprimendum ſanguinem, & ideo opus eſt habere glutinoſum, tenax, refrigerans. Sed ego continuò mando, ut madefaciant uino ne ſiccetur album oui; quia nimis ſiccatur & ſæpè inflammationis cauſa eſt: non utimur autem ſemper ad agglutinationem: dimiſsis itaque iſtis nos inquiremus medicamenta oportuna ſeruato

to Galeni præcepto, ut omnia medicamenta habeant tenuitatē substantiæ, & ut nos saltem talem tenuitatem tribuamus, aut contundendo, aut eliquando, aut commiscendo cum penetrantibus: nam si cerussam integram, uel lithargirum ponemus non contusum, nihil proderit: sed, si contundemus, multum adiumenti afferemus.

*De medicamentis agglutinantibus opportunis.* *Cap. L.*



Vm omnis ratio imponendorum medicamētorum uulneribus agglutinandis, pręter illam, quæ monet siccantia, & adstringentia medicamenta imponere, mala sit, nos colligemus semper talia medicamenta dicta imponenda esse, & quum dico adstringens gustu intelligo, ut si medicamentum ore sumamus, adstringēs sit, & ita per se erunt adstringentia, siccantia, & hæc trium generum sunt, aut liquores, & isti tenuitate substantiæ apti sunt, quoniam non habentes terminum facilè intrant cauas, & meatus aliorum corporum: sed est incommodum; quoniam facilè siccantur & dissoluuntur, quia non habent substantiam resistentem: undè oportet, ut continuus sit horum usus, & lintea continuo madida sint his succis. secundum genus est pulucrum, qui sint tenuissimi: & præter hoc aliquo succo aquoso tenui diluantur, & quia isti siccantur, necesse ēst ut aliquid succi infundatur; &, si nihil adesset, aquæ. Tertium genus est medicamentorum compositorum, quæ habent ceram, resinam, aut oleum admista, & corpus humidum, quo seruatur medicamentum, & penetrat. Principem locum habet uinum austerum, quia in eo est uis siccans terrestreitate: est uis adstringens gustu; adest tenuitas substantiæ, ut facillimè penetret ut Gal. testatur: 4. de fac. sim. cap. 8.
& per uinum austerum accipimus uinum garbum appellatum: & est etiam bonum uinum acerbum, quod adstringens dicitur: quoniam, licet aliquantisper adstringat, non officit tamen. multa loca non habent uinum austerū, ut in Bononiensi, Mutinensi, & Regiensi agris. Madefacite ergo his linteum sensim, & sensim, ne siccetur: est succus hypericonis. Eritis ruri non habentes uinum: sumite hypericon uocatum herbam perforatam, uel succum folii cupressi: caudæ equinæ succus, mille folij succus; duum generum hæc planta est, altera rubro, altera albo flore decorata, & stratiotes etiam dicitur. Pentafilon sumite, & contundite radices, & folia. Ruri nascuntur quædam uesicæ ad latera foliorum in ulmis quæ mense Maio liquore solent

Liquor uesicarum ulmi. esse plenę, qui liquor, & colore, & substantia melleus esse uidetur: ego nihil reperi oportunius hoc liquore in agglutinatione, & uidi mirabilia in uillicis de hoc liquore. Sed uidi maiora: quidam ex Erronibus perforabat mamillam, femora, brachia &c. pugione, & solū huiusmodi liquore mixto melle spatio 24. horarum sanabat. Potest seruari: colligimus enim & utimur in podagricis affectibus, quum sunt podagricę fluxiones. Mense Maio colligimus, quoniam tardius nascuntur uermiculi conferentes. Explemus fialam uitream, & cera, & linteo obturamus postea facimus foueam in terra per altitudinem pedis, & in fundo foueæ ponimus salem communem, supra quē ampullam collocamus, & deinde explemus foueam terra, ita ut operiatur ampulla terra, & relinquimus per spatium 20. uel 25. dierum, & postea diuidimus feces à substantia clara. Tormētillæ omnes expresso succo, bonæ sunt: sed consolida maior, & consolida media faciūt præter modum: ultimò illa herba, quæ uocatur pimpinella extracto succo oportuna est. Pulueres adstringentes sunt ueluti manna thuris, quæ partim ex cortice, partim ex thure cōstat: bolus orientalis, corallium utrūque album, & rubrum, gallę immaturæ omnia ex malis punicis sunt, ut cortices, flores, & folia: lapis ematithes, terra sigillata, & supra omnia alia sanguis draconis appellatus, resinæ omnes. Sed aduertatis ut semper liquore diluatis uel aqua, uel uino, si in profundum debet descendere substātia hæc. Albuc. proponit puluerem (lib. 2. c. 28.) in uulneribus capitis & accipit thus, sang. drac. & calcem uiuam: credo, quòd curarit gigantes. Quoniam duo extrema uim causticam habent: est etiam medicamētum ex rosa mirtillis, mirab. citrinis, & dictis à me pulueribus.

*De compositis medicamentis agglutinantibus.* *Cap. LI.*



SI autem loquamur de compositis medicamentis habentibus mollia corpora, legite Cels. ubi infinita oportuna habetis: ubi est barbarum durissimum ab eo uocatum: habetis coacon oportunum pro pueris: habetis basilicō descriptū pro mollioribus, smaragdinum, ruffum, paracoliticum empl. (lib. 5. tract. de empl.) Aetius pariter ponit emplastra. (lib. 15. c. 22.) Ego habeo unā bragam mēā assumptam ex Gal. qua utor in omnibus, & altero, & uario secundum habitus: si in mediocribus, utor quale est. Et est ceratum barbarum: nam cum uiderim pretiosum hoc medicamentum, utor ego, si non prima die, secunda,

cunda, & semper felici cum successu:nam hoc habet substantiam penetrantem,habet enim resinos,ceram, & oleum, habet pulueres tenuissimos; habet facultatem siccandi,& adstringendi,& mitigat dolorem,quod satis est. Et quoniam plures huius compositiones proferũtur ego semper curaui ut formaretur ea ratione, quam docet Gal. quando dicit, Barbarum Galeni,barbarum, quo utor. Estq; duplex. quod plura continet,& quod pauca. Ego priori utor,quod plura continet. Compositio talis est, Accipit picis siccæ lib.8.egò pono pondera Gal. & nisi esset quòd oportet supponere quæ dam, id non dicerẽ. Ceræ citrinæ lib.6.onc.viij.resinæ pini lib.5.& onc.iij. aspalati, uel bituminis iudaici,idem enim est,lib.4.& notate, ut uestri accipiãt bonum bitumen,& si non habent,aduertatis,ne accipiant picem nigrã, qua nautæ utuntur;nam est metallicum,& est acre nimis,& facit exustionem;& inflammationem: supponant ergo mumiam, non carnem siccatam,sed bitumen, quo plenus est uenter corporum mumię olei lib.1.s.litharg.cerussæ ærugin.æris ana unc. iij. thuris lib. s. alumin. liquidi unc.j.s.nos non habemus alumen liquidum, curaui,ut conficerentur alumine rocchę. alum. scissilis unc.iiij. qui erunt in Nobilissima urbe Neapoli poterunt facere hoc; quia Puteolis copiosum est hoc alumen: sed ego addo alumen rocchæ combustum, quia non habeo scissilem. opopon;squamę eris,galb.ana unc.i.s. aloes,opij,myrrhæ ana unc.s. terebent. & pro hac possumus ueram capere ex Cypro delatam,& possumus accipere resinam laricinam, uel resinam abietinam, quę uulgò appellatur oleum abietinum,& quo pondere lib.2.succi mandrag.drach.vj.cùm hoc non habeamus, curo,ut loco ipsius corticem siccatum ponam, aceti lib.v. Galenus docet,ut tritis terendis misceantur,& concoquantur. Sed bitumen iudaicum solet concrescere in lapillos, ideo raró succedit hęc compositio,semper adsunt grana, & est inęquale emplastrũ: ego doctus experientia hoc modo formo. Accipiant litharg.ceruſ.& oleũ,& coquãt,simul donec acquisierint mellis spissitudinem: non perueniat ad spissitudinẽ, ut non inquinet,satis est,quod dixi. Posteà accipiant picem illam nigram,& in alio uase lique faciant supra cineres, non supra carbones flagrantes,tunc habeant bitumen tritum, & in cribro perforato sensim inspergatur supra picem semper mouendo,& miscendo:tunc resinam ponant,& alia,quæ diximus,& coquantur donec acetum absumatur,uel medicamentum non inquinet amplius:ego utor in omnibus hoc medicamento;sed,si erit in habitu molli, & parte mollis habitus cerato rosaceo,cerato mirtino,& facto ex oleo amig.dulc.mi-

1. de comp. med. per genera in fine.

sceo: sed in duris addo portionem emplastri isidis; nam hoc oportunum est in agglutinandis durioribus corporibus, ut articulis excarnibus, & cute capitis: cum barbaro uerò tempore frigido diluo cera tum mastichinum, uel camomillinum: tempore calido rosaceū. Emplastrum autem isidis repertum fuit in Aegypto in templo Vulcani tanquam diuinum. Et hoc habebant in consuetudine Antiqui, quòd, si quis medicamentum inueniebat bonum, ponebat descriptionem in templo, ut statim legens haberet: nostro tempore secretè seruant: tunc loco tabularum uotiuarum in templo Aesculapii ponebatur tabula describens historiam affectus; iam ponitur mulier decumbens in thalamo. Et ideo Hipp. inscribebat opera sua practica ex huiusmodi uotis appositis templo Aesculapij: appellatur autem empl. Ephigoni, quia Ephigonus ob delictum carceratus liberauit principem hoc emplastro & sic liberatus fuit: uocatur Hermonis sacri scribæ, uel Hermonis sacerdotis hac rōne; quia Hermo apposuit, uel liberatus est hoc medicamento, quod fit: Accipimus ceræ luteæ drach. c. colophoniæ drach. cc. radicis dracūculi, ari siccati, squamæ æris rubri; æru gin. æris, aristol. rotundæ, thuris, salis ammon. ammoniaci, Thimiamatis, æris usti an. drach. viij. alum. rotundi, & loco eius ponetur alumen rocchæ drach. vj. aloes, myrrhæ, galban. ana drach. xij. olei antiqui lib. 1. aceti q. s. hoc non coquitur, sed crudū miscetur hoc modo: primùm accipimus omnia metallica, & ponimus in mortario, & dissoluimus cum sufficienti aceto, & oportet esse sub sole diebus canicularibus, ut incalescat medicamentum; deinde affundimus eliquabilia eliquata, & sic infundimus; tertiò inspergimus pulueres, & sic pistillo miscemus, hoc pacto formamus magdaleones, quos in aceto seruamus in uase æneo tecto aceto, & seruatur ad duos, tres, quatuor, & quinque annos. Et ego non possum reddere rationem (ecce quòd experientia infinita docet) quare aceto seruatur: si extra acetū fuerit amittit colorem: ex uiridi fit luteum: & siccescit in sex mensibus; si seruatur in aceto semper seruatur æqualiter uiride: &, si habet uim erodendi; aceto mitigatur, & in uase æneo, ut acetum inde uim acquirat adstringendi; & unguēto communicet. Notate tamen quòd in officinis habemus unguentum, & emplastrum isidis. Vnguentum nihil aliud est, nisi una pars emplastri isidis, & duæ partes cerati rosacei; & si molliorem uolumus miscemus tres partes cerati ros. cū una empla. isid. Noster Hipp. proponit compositionem medicamenti ex succo uuæ acerbæ, quod oportunum est pro siccissimis, & robustissimis corporibus agglutinandis.

In lib. de Vlceribus.

De

### De modo applicandi medicamenta. Cap. LII.



Mponimus autem medicamenta, aut quotidie mutando, aut alternis diebus: nisi effluat ichor copiosus in vulneribus non detegendum est uulnus quotidie, multo minus bis in die, ut multi faciunt, non consistit in hoc uirtus Medici, sed in compositione optimorum medicamentorum, nunquam ergo detergite vulnus, nisi alternis diebus: & si constringenda labia, uel multus humor effluat, tunc quotidie. Primò ergo debemus exprimere uulnus, & linteolis humidum & purgatum facere ut d. Hipp. & Gal. quando uolebat siccare uulnus neruosum solebat lanam accipere, & madefacere uino dulci: nos possumus facere hoc idem, & ego utor coctone, & aliquantisper sputo lenio, & specillo alligo, & purgo uulnus. Hoc agemus usque ad quartum diem, & si uidemus agglutinatum uulnus, auferre debemus fibulas forcipe, uel gladiolo, uel alio instrumento: & statim, quum sectæ fuerint poterimus auferre; sed facilius est relinquere ad alteram diem, quia facilius mouebimus. sed cur non linquimus? quoniam non solùm fit cicatrix uulneris sed cicatrices transuersæ, ueluti rastrum: quia suturæ faciunt cicatricem propriam: quum igitur hoc fiat, hæc est causa quòd ego aliquãdo tertia die, & secunda etiam soleo remouere suturas. Ista erunt agenda, & ita erunt hæc agenda, ut primum scopum habeamus, sed nota, quòd aliquando non sufficit hoc, superueniunt enim causæ impedientes, aliquando superuenit dolor ingens, ut impediat rationem hanc medendi: superuenit tumor rumpens infibulationem: aliquando fluit copia humoris ingens: ideò non solùm oculum ad locũ affectum habere debemus, sed etiam ad omnes partes: at hoc impediamus, & opus est ut quisque habeat oculos intentos ad sex genera rerum, quę non naturales dicuntur, & solent corpus alterare: castigate has, unde opus est, ut uacuetur corpus, si plenum est aduertendum circa cibum & potum, motum & quietem, somnum, & uigiliã &c. circa uacuationẽ & plenitudinẽ oportet ut se exerceat Medicus. 6. Meth. 3.

### An mittendus sanguis. Cap. LIII.

ET primò oportet uidere an mittendus sit sanguis nec ne: in qua re differunt Medici: aliqui nolunt, ut secetur uena: & omnes aqua, linteis & elixis, oleove stillatitio sanant: uenam negant esse secandam: & dicunt eius secandæ non adesse indicationem: est uulnus simplex sine symptomate, uulnus ut vulnus

ſolutio continui non indicat ſectionem uenę. Præterea hoc etiam confirmant authoritate Gal. 4. meth. 6. ubi loquens de ſectione uenæ d. In omnibus his non immemor ſis non eſſe ulceris, qua ulcus eſt ullam id genus curationem, loquitur de ſectione uenæ, à ſoluta igitur unitate non indicatur ſectio uenæ. Præterea eſt authoritas Hippo. in lib. de ulceribus, uult ut ſanguinem à loco affecto educamus, nullam mentionem facit de ſectione uenæ, ergo inutilis eſt ſectio uenæ. alii uolunt, ut ſecemus, & dicunt cum Gal. ſecandam uenam non in omni paruo, & nullius momenti, ſed quum eſt uulnus magnum, quamuis ſimplex ſit, quoniam omne magnum uulnus ex 4. meth. 6. indicat ſectionem uenæ, quia morbus magnus. Magnum dicimus, uel quia magnum ſpatium occupat eſſentia ſua, uel magnum ratione partis nobilis uulneratæ, uel eſt magunm, quia habet occultam naturam malam, & qualitatem ueluti ſymptoma non ita manifeſtum, ergo non ut ſimplex indicat ſectionem uenæ, ſed ut magnum, quare in omni vulnere magno etiam ſimpliciſsimo debemus ſecare uenā. Ego nec cū prioribus, nec cum his ſentio: nō cū prioribus, quia licèt vulnus vt vulnus non indicet ſectionem uenæ, tamē cum actio agglutinationis à natura fiat, natura debet fieri integra ualens, & ſi non eſt, fiat, & hæc fit ſiccitate ſeruata uel ratione partiū, uel ratione totius habitus: pars ſequitur habitum. Si habitus humidus non poteſt ſiccari niſi ſectione venę: ſi ſunt humores peccantes in quali debet medicamento uti, ſi boni, ſectione uenæ. Sed quòd magnum indicet ſectionem hanc non eſt uerum: ego ergo laudo, ut in vulnere ſimplici alicuius momenti ſecanda ſit uena, non ratione magnitudinis, ſed quia uulnus indicat ſiccitatē, quę ſiccitate uniuerſi habitus acquirit, ſed hoc nō fit tutius quā ſectione uenę: poſſumus id ſectione uenæ, ſudore, balneiſq; præſtare, ſed cōmodior eſt ſectio uenæ ne alteret corpus. Hipp. nō ſecuit, Celſus uerus interpres Hipp. q non eloquiū facit lōgum, ſed Hippocraticū ſeruat ſtilum, dicit, Medicus debet mittere Lib. 6. c. 16. ſanguinem ad ſiccitatem mouendā: fluat ergo ſanguis multus ad ficcationem (ſubdit) & abundātiorem; ſed ſi non fluxit, quantùm ſatis eſt, ſecetur uena. Non conſentio cum aliis, qui uolunt, ut ſecetur uena ratione magnitudinis morbi, quoniam hoc falſum eſt; magnitudo morbi, magnum remedium quærit, celeritas, celer; ſed Gal. in illis locis coniungit magnitudinem, & uehementiam morbi: quæ uehemens remedium incidat, inter quę vehementia remedia connumeratur ſectio uenæ, & inter hæc eſt uſtio, ſectio particularum, &c. vehementia ergo morbi quęrit vehemens remedium, ut ſectionem uenæ,

næ, & in hac indicatione sectionis uenæ Gal. non satisfacit. non ualet febris magna, ergo secanda uena, nego consequentiam. dico igitur quòd si vulnus magnum est uel ratione substantiæ, uel partis subiectæ debemus seruare siccã têperiem, & hoc fiet siccatione corporis uniuersi, & hæc siccatio cita, & celer facienda est, & nulla est ita cita in euacuatione boni humoris sicut sectio uenæ, & hoc debemus fare cum cautione magna.

*Occasiones quæ indicant secandam uenam.* Cap. LIIII.



Ixi in vulneribus magnis mittendum esse sanguinem, in leuibus autem simplicibus quidem non esse mittendum, cùm non indicetur aliquod uehemens præsidium, in magnis debemus non ratione vulneris, sed ut præseruemus partẽ: nã siccato corpore, siccat pars; prętereà impedimus fluxionẽ; & inflammationẽ: & si quis petat quę sunt occasiones, quæ indicabunt uenam secandam: dico primum esse uulnus, secundum uniuersum corpus, tertium passiones animæ, quartum ambiens aer, tempus. à vulnere nobis præstabitur cõsilium: si obseruemus an copia sanguinis sit egressa, uel non. si egressa est non amplius mittendus sanguis, si pauca, & nulla, habitum non siccatum indicat, & sic possunt fieri fluxiones, & inflammationes: prętereà si non est dolor, nulla fiet attractio, & ideo nõ euacuemus, nec siccemus uniuersum. Tertium si futura secta non est violenta consui corium, & futurę non sunt multæ, ideo nõ timemus fluxum nec dolorem, & propter hoc non mittendus sanguis. Si etiam sit in parte ad quam nõ facilè sua natura fluunt humores, ut in parte superiori, facie scilicet & capite, non mittetur sanguis. Prætereà si est vulnus in partibus, carnosis, & robustis, non est timenda fluxio: sed partes imbecillæ facilius occupantur à fluxione, & ideo tunc mittendus sangnis. Ab uniuerso, nos contemplabimur, an uniuerso adsit plenitudo. nam, si plenum est, secemus. Exẽpli gratia, hyeme, si fuerit illatum vulnus, tempore carnispriuii, & quadragesimę, tunc turgent uenæ, ideò secanda uena. Si non est plenitudo, ut autumno, uel alio thyemis tempore, non mittemus. Prætereà seruanda est temperatura: in melancholica non est timenda fluxio, in biliosis timemus, ideo siccandum corpus: prætereà oportet uidere an adsit febris, nec ne. si adsit, secemus; quia febris eliquat humores, qui calefacti facilè mouentur, & fluunt ad uulnus: in omnibus

bus tamen ſeruandum eſt, dummodò uires tolerent. tertiò obſeruã dę paſsiones, nam ſi homo uilis animi accepit vulnus, ſi eſt quietus animus, & non concitati ſpiritus, non ſiccandum uniuerſum. ſi autẽ animum furore per citum uidemus, ſi non dormit, ſi cogitat. etiam ſi coclear ſan gu inis in uniuerſo, fluit ad uulnus, ideo mittendus. Vltimò ſeruanda temperies acris: frigidiori tempeſtate ſunt compacti humores, & quieti, & non fluunt, æſtate facillimè fluunt, cùm ſint eliquati. ſi ergo uidemus cauſas indicantes periculum fluxionis, ſecanda eſt vena: ſi uerò non, non debemus hominem cruciare; ſecabimus igitur dextram vulnerata parte ſiniſtra ſeruata rectitudine. ſi femur dextrum vulneratur ſecamus baſilicam brachii ſiniſtri: poterimus etiam vulnerato uno crure ſecare uenã in alio, ſed nõ eſt in uſu.

### *De medicamento purgante. Cap. LV.*



Etiam poſſumus euacuare pharmaco, quod deſpiciunt qui aquis ſanant, ſed decipiuntur: non indicatur euacuatio à vulnere, ſed à fluxione, ut præſeruemus ergo à fluxiõe, uel ut expellamus, pharmaco euacuamus. & qm̃ iter humores potius fluit bilioſus: tanquam regulam cõem profero, quòd illa potiſsimum requiritur, quæ bilioſos expurget humores: & reuera morbi ex vulneribus ſuperuenientes duo ſunt, aut inflammatio, aut eriſipelas, quæ fit à bile. & ideo, ſi quis humor fluit, bilioſus eſt. euacuabimus autem pręcipuè in his, qui tenui dięta uſi ſunt, & medicamento cholagogo, ideſt bilem ducẽte. Hipp. utebatur ucratro ipſo, quoniam uti habemus ex Gal. in com. de fracturis, homines tempore Hipp. erant uiuaces, mundi, & ideo non abundabant excrementis, & ut ſummatim dicam pauperes erant, parùm comedebant, erat miſerum genus hominum. Semper eandem noui h ominum ſpeciẽ. Dimittamus Noem, & Moiſem, aliter medicina tradita ab Hipp. & Gal. non eſſet cõueniens noſtris temporibus. Vſus ergo ueratri non eſt apud nos; quoniam non utimur euacuatione per ſuperiora: ſed nos non utimur tum ob mutationem uictus, & propter mollia corpora; tum quia neſcimus ueratri pręparationem, & Galenus etiam confitebatur ſe ignorare. ſemper ergo per inferiora euacuamus exhibito medicamento bilem expellente. Inter quæ peculiarem locum habent caſsia, thamarindi, ſyr. roſ. ſol. ſyr. uiol. ſol. manna, aſcendatis ad elect. de ſuccoroſ. uel ad diaprun. ſol. uel ad elict. de pſillio & quamuis adſit ſcammonium


nium urens, tamen ita mixtum est, ut nocumentum non sit timēdū.

*Quæ sunt vulnera, in quibus purgatio necessaria. Cap. LVI.*



Ed quę sunt ista vulnera? quæ alicuius momenti sunt, in quibus inflammationem timemus? primùm sunt vulnera capitis, secundùm sunt vulnera utriusque uentris, & thoracis, & abdominis, tertiò sunt vulnera articulorum. Prętereà, si superuenerit, aut inflammatio, aut erisipelas: sed notat Hipp. si addita sit sutura. In quibus uerbis duo genera causarum proponit: prima causa, qua debemus pharmacum adhibere; quia si adest sutura, inditium est magnum esse vulnus, & magnum vulnus incitat naturam, quę concitata bilem expellit. Pręterea sutura facit dolorem dum suitur: prætereà fibulæ proritant partem, & excitant dolorem. Addatis de meo capite, quòd omnia vulnera, in quibus uel necessaria sectio, uel necessaria dilatatio, uel necessaria abrasio alicuius osſi, semper indicant pharmacum bilem soluens; quoniam semper ingens dolor sequitur ex his tribus, & in abrasione oportet seruare detectum vulnus, & proritantur partes à frigiditate.

*De præparatione humorum. Cap. LVII.*



Ed si videtis non tantùm bilem, sed humorem melancholicum spurium, uel pituitam, cùm sint crassi humores, & non facilè fluant, in hoc casu erit parandum corpus una, uel altera die antequam detur pharmacum, tanto magis cum non facilè fluant humores hi.

*De ratione uictus & primò de cibo & potu. Cap. LVIII.*



Portet etiam rectè, & moderatè uiuere ęgrum. Sunt sectę, Medicorum quę non curant rationem uictus, & omnes, qui sanant aqua benedicta, uel balsamo stillatitio exhibent carnes, & uinum maluaticum: & Theodoricus, & Henricus chirurgi exhibent carnes & uinum, & uidetur, quòd sit cum ratione factum: nam, si oportet explere vulnus sanguine, necesse est uti optimo alimento

mento, sed satis est humiditas indita carni ad glutinandum vulnus, non est necessaria tanta plenitudo: quare in vulnere alicuius momẽ ti, quod requisiuerit futuram, semper tenuem exhibere debemus ui- ctus rationem, hoc est, quòd paucum alimentum subministret, quod frigidum sit, impediens fluxum, non calefaciens humores. Sed si vul nera sint magna noua, omne cruentũ uulnus ante septimã requirit te nuem uictum, etiam sunt quæ minantur inflammationem, uel erisi- pelas ut sunt illa, in quibus sanguis abũdat. Tertiò omnia vulnera ca pitis, thoracis, abdominis, articulorum, & ut uno uerbo Hipp. vtar, consuta talem uictus indicant rationem. fugite uinum, ut Diabolus crucem. exhibete aquam uario modo paratam: saccaro incoctã vel cinnamomo, aut purissimam: non exhibeatis carnes, nec oua ante septimam: ius dare potestis. Si non est uulnus tanti momenti con- cedite ouum, sed integrum, quoniam contemperatur luteum, albo illo frigido: sed si potest fieri, dimittite oua. Exhibete panem lotum, lactucas, endiuiam coctam, spinachiam coctã elixatã, orizã cũ semini bus illis communibus frigidis uocatis ex cucumere, cucurbita, melo ne: fugite fructus, non quòd non sint oportuni; quia frigidi sunt: sed quia faciunt sanguinem, qui facilè feruet, sicuti mustus quum fit ui num: & ideo si exhibentur frigidi sint, & cocti, ut pira, uel poma, & ex his pauca, uel nulla exhibeatur pars. Solent sitire; exhibite syru- pum de endiuia, acetosum simplex, syrupum de rosis siccis, syrupũ uiolaceum: aliquando oxizaccarum diluite; quoniam lotium prouo catur, & extinguitur sitis.

### *De motu & quiete.* Cap. LIX.




Ræthereà oportet, ut vulnerati sint in quiete, aut stent aut ambulent, aut sedeaut, semper malum est in vul neribus partium inferiorum; oportet ergo ut sem- per ægri decumbant in lecto, sed ita decumbant, ut optimè, placidè, sine incommodo maneat pars vulne rata. Exempli gratia; si sit vulnus in manu debet su spendi; sic etiam in pede, ne facilè fluant humores: aut adminus semper æqualis sit: ad hoc aliud notandum, quoties suitis uel ligatis vulnera uidete an membrum impeditum remaneat à motu: & ideo oportet scire, quòd aliqua membra commodiora sunt flexa, aliqua extensa, ideo oportet extendere eas partes quibus extensio prodest & flectere eas quib. s flexio commoda erit. Exempli gratia genu uul

nera-

neratur, quod moueri non poterit, oportet ne ligare crus rectum & integrum uel ut flectatur? commodius rectum remanet, ergo rectè ligetis. Viceuersa ligatur pars cubiti, oportet flectere: quia collocatio commoda magis est ut seruetur flexus. Hinc natū est prouerbiū, Cubitum ad collum, crus ad lectum, esse ponendum, ita in manu si vulnerentur articuli digitorum, aliquantisper flectant, nam hic usus præter naturam erit commodior homini, quàm quū remanent recti.

## De somno & uigilia. Cap. LX.



SEquitur, ut substituatur ratio somni, & uigiliæ; quoniam somnus humectat, uigilia exiccat: solet facere ad fluxionem sanguinis somnus nimius: ideo ne profundo somno corripiatur æger, si timetur fluxio; & prætereà, si uulnus fuerit in articulis, & extremis particulis, quoniam somno refrigerantur partes illæ. Et ego uidi aliquando in fluxionibus, in quibus frigore usus fui, idest medicamentis frigidis, quòd excitabatur fluxio ex somno profundo; & ideo non retinui fluxum, nisi pannis calidis, & excitatione somni: undè in hyeme in omnibus uulneribus extremorum calefaciendum est; & ideo somnus longus non est tribuendus; sed dum non timemus fluxionem, demus somnum. Prætereà in partibus, in quibus dolor est, utilis est somnus; quia somnus dū retrahit spiritū, sopita facultate mitigat dolorem. Prætereà impedit fluxionē retrahendo ad interiora.

## De ambiente. Cap. LXI.



AMbientis etiam aeris habenda ratio tradita ab Hipp. in lib. de Vlc. ubi dicit, tēpus calidius commodius ulceribus exceptis his, quæ sunt in capite, & in uentre superiori, & inferiori: ergo semper commodius tempus æstiuum, quàm hyemale. Prætereà adhuc commodius est tempus æquinoctij: cùm tres qualitates proposuerit Hipp. frigidissimā, quā intendit, quum dicit hyemem: calidissimam, quum dixit, Calidius, temperatam, quādo dixit æquinoctium: quoniam tunc commodissimum est tēpus: secundū tēpus cōmodius est æstiuum plurimis uulneribus. Tertium est incommodius excepto capite, & uentre: cui addendum, quòd ratione aeris cognoscimus tempus; nam habemus aerem ambientem frigidum, calidum,

& temperatum. Ambiens iste aer uariatur à natura, lumine scilicet solis: ita dicemus de ambiente facto arte; possumus stufa reddere aerē calidum: possumus apertis fenestris, delatis niuibus à montibus, & aquis infrigidare. Præterea non solū aer est obseruandus, sed auulsiones, detersoria, medicamēta, manus Medici, & linteola, in quibus hoc idem requiritur, ut harum actu calidissima, frigidiora, & mediocria inueniantur: ambiens ergo à natura temperatus prodest: arte qui tēperatus erit præstantissimus est. De contingentibus. Medicus non habeat frigidas manus, nec medicamentum sit frigidum, &c. æstate sint temperatè frigida; hyeme calefacienda temperatè. testis est Hipp. qui æquinoctium maximè probat: ideo reprehendendi, qui aqua frigidissima curant in media hyeme: sed, si temperata nō habemus, calidum minus offendit, & commodius est. Sed in quibus uulneribus huiusmodi actu calida non explicauit Hipp. sed credo, quòd intellexit de uulneribus articulorum, quæ partes frigidæ sunt, & ideo tempore æstatis, si extremum uulneratum est, non tentetis temperare frigido: & tempore hyemis temperate calido: & ideo aliquādo stuppa, aliquando pellibus obuoluatis partes uulneratas. excipit Hipp. caput, & uentres, in quibus frigidum quærit: qua ratione? uidetur mihi duplici causa: primò; quia dicebat in aphorismis, uentres hyeme calidiores, quoniam per constipationem, quæ fit ab ambientibus frigidis continetur calor naturalis; & ideo expellunt facillimè excrementa, & faciunt oportuniorem concoctionē: calor ergo dissipabit; & ideo mumia oportuna non exercebit. Præterea uētres, & caput sunt uasa magna continentia sanguinem; & ideo ambiens aer non est timendum, ut suffocet calidum; sed semper tanquam ualidissimi, & robustissimi resistent; at in extremis uasa parua sunt, & à frigore superatur facultas. Cùm robur uentriū ꝑ antiperistasim ualidius reddatur, ideo frigus non nocet: sed calor eliquat humorem, & feruorem inducit, & dissipat; iccircò oportunum est tempus temperatum: sed, si eligendum est unum extremorum, frigidum eligendum est. Hinc uidetis, quàm allucinentur, qui ex sententia Gal. dicentis cerebrum calidius aere tempore æstiuo: uolunt, ut æstiuo tempore calefaciāt omnia; & ideo semper igniunt, & coquunt cerebrum & omnia: ac in ciuitatibus, in quibus aër est tenuior hoc præcipuè faciunt: ideo hi occidunt ægros, & dicendi Medici hominum coctores. Ego dico, quòd minus patiuntur uulnera capitis à frigidis: habete ergo curam, ut hyeme temperetur frigiditas, ęstate tempus quale est, oportunissimum erit.

De

### *De animi passionibus.* Cap. LXII.



Assiones animi sequuntur: ideo adstãtes aduertant ne referant uulneratis, quæ mala, & incommoda uiden tur: vidi mira. Ego habebã os fractum cuiusdam Veneti, qui habebat patrem morbo laborantem: usque ad duodecimam peruenit; pater obiit: mulieres eiulatu significant parẽtis mortem: illamet die adeò turbatus est, ut os ligatum in propria sede dislocatum fuerit: & ideo impresiones nocent. ite iucundi uisu: estote mendaces; & hilari fronte, ideo in uulneribus puerorum tenellorum opus est concedere noxia eis; si conseruem eos sine fletu omnia prospera uidi; sin minus, contrà. Veneris etiam habeatur cura. Nam, quãuis Iacobus referat exempla quorundam Bononiæ uulneratorum in capite, qui continuè noctu coibant: uellem, ut retulisset exempla eorum, qui mortui sunt, ob hoc coitus impedit, & tentigo etiam, consolidationem: statim effluit tentigine sanguis.

### *De his, qui potionibus tentant agglutinationem.* Cap. LXIII.



Num notat Guido, quòd sunt aliqui chirurgi, ueluti Rogerius, &c. qui glutinationem tentant per potiones intus sumptas ex medicamentis calidis confectas: nam cùm agglutinatio debeat fieri à natura: assumpta in corpora non solùm uiscera conseruant; sed articulos etiam affectos; & ideo potiones calidas ex uino exhibebant. sed uituperatur hoc à Guidone: quare nolite exhibere has potiones; quia licet siccare possint habitum uniuersum, & partes etiam; tamen periculosa sunt; quia antequam siccent, calefaciunt: calefacto habitu fit fluxio, & sic inflammationes succedunt: sed, si exhiberetis, quæ habent uim siccandi, & non calefaciendi, v.g. ex consolida maiori, & media, pentafilo, tormentillis omnibus, pimpinella, ormino uero, & syluestri: laudo: sic etiam decocta ex talibus; sed calidas potiones semper mittatis, & presertim uinum, ut dictum est.

*Quando agglutinare non possumus, tentamus secundũ scopum C. LXIIII.*



IN superioribus proposui duplicem rationem sanandi uulneris, alteram conglutinandi labia, alteram, ut cauitas expleatur carne, & hæc erat secunda intentio, uel uia secundæ intentionis, uel secundus scopus, & sissarcosis à Gal. idest concarnatio dicitur, & tesis, idest colligatio: quando primum scopum non assequimur accedimus ad secundum: uulnera, quæ dicuntur caua non possunt sanari per primum scopum, distinguimus omne uulnus in cauum, & non cauum: nec per cauum profundum intelligimus; quoniam omne uulnus profunditatem habet: sublimia uocamus, quæ paucam cauitatem habent, quæ cutim fractam habet: sed uocamus caua uulnera, in quibus deest caro, idest substantia ipsa. Et hinc est, quòd omnia ulcera semper caua sunt: quoniam non gignitur in corpore nostro ulcus, quod substantiam non absumat: ita si casu circulariter esset cesim factum uulnus & substantia esset comminuta, non potest agglutinatione coniungi; oportet carne explere. Sed, si quis quæret, non ne succedet agglutinatio etiam, quòd desit caro: concedo, sed nimis difficulter fit. Si de est substantia, & uolumus coniungere erit uiolentia magna, dolores, & inflammationes faciens: & ideo fugimus eam, sed fit in partibus laxis, ut in facie, & subauribus: Secũda occasio, in qua nos tentamus secundum scopum, est in illis uulneribus, in quibus deligatione & sutura uti non possumus, & ita non possunt uniri partes, & in illis ex petenda est expletio carnis. hæc autem, sunt, quæ nimis magna sunt: sunt illa, quæ nimis magna sunt in articulis: sunt illa, in quibus expectamus, quòd os abscedat, uel ligamentum uel cartilago recedat. Quartò sunt illa, in quibus fluxum sanguinis magnum timemus: sinimus enim tunc apertum uulnus, & tentamus secundum scopum. Prę tereà omnia uulnera, in quibus timemus magnam collectionem saniei hanc curationis normam expostulant. Hæc cognoscemus. Primò erunt illa, in quibus non possumus aptare deligationes impedientes fluxionem, & erunt, quæ in axillis sunt, quæ circa articulos: & erunt quæ in corpore accident cachochymo, præcipuè si laboret corpus scirrho hepatis, & lienis: in his enim semper fluit maxima saniei copia, ideo non tentate primum scopum; sed sinite aperta uulnera, si non fuerint in facie, & in partibus, in quibus turpitudinem cicatricis timemus. Si igitur proponitur laborans uulnere simplici hoc pacto dicto statim non esse suendum statuo.

*De modo sistendi sanguinem.* *Cap. LXV.*



RImum quod proponitur est, ut sistam sanguinem, prius tamen quantitas multa egrediatur: sed, quum excedit terminum, cohibete: & imprimis digito ten tetis profunditatem: si uulnus inæquale, aperiatis, & firmetis sanguinem: & duplicẽ habetis modum cohibendi sanguinem. Vnum à Paulo propositum: 6.lib.c. 50. alter modus est communis: primo modo Antiqui accipiebant linamenta quæ madefaciebant posca aceti frigida, & imponebant uulneri, quando non erat uehemens sanguinis copia, linteolis siccis, & linamentis siccis utebantur: nam linamenta ista, quum fuerint imbuta sanguine, fit grumus claudens orificia: posteà uino madefaciebãt, & oleo: Hic est modus Antiquorum: sed recentior modus magis placet cum albo, & luteo oui; quoniam facultas eius frigida est, & apta etiam. Prætereà Gal. 13. meth. cap. de ulceribus oculi, dixit; Quando uolumus aliquid oculo imponere, debemus albo oui uti; quoniam uiscida illa substantia lenis est: linamenta, quamuis mollia sint, non habent tamen proportionem cum carne humana; quia sunt frigida, & sicca: ideo madefiant albo oui, ut partes tangant absque dolore: sed ego probo, ut luteum etiam imponatur, eò quòd uim mitigatoriam etiam habet: prætereà, quum auferimus medicamenta ista, reperimus aliquando uulnera cruda, si luteum ponimus concoquit uulnus, & ideò commiscere debemus albo. Modus imponẽdi notus est: sed ne salem imponatis cum albo oui, ut aliqui faciunt: siccat enim mordicat, & cruciat. Concutimus album, & madefacimus molle linteolum, & imponimus uulneri: posteà explemus uulnus linamentis: aliqui hoc non faciunt; sed præstantissimus est hic usus, præsertim, ubi adsunt pili; quoniam linamentum recedit absque dolore. Hoc modo debemus explere uulnus pro supprimendo sanguine: prætereà facimus, ne uulnus grumis expleatur, & putredinem pariat: tertia causa ut magis latum maneat uulnus, & latitudinem æqualem accipiat, & sanie non repleatur.

*De linamentis.* *Cap. LXVI.*


MEntionem feci linamentorum, necesse est, vt declarem terminos. Debetis igitur scire, quòd præter instrumenta chirurgica ferrea, vel argentea, sunt instrumenta, quibus utitur ad continenda medicamenta, inter quæ quædam non tangunt

vulnus

vulnus, vt fasciæ, & de his dictum est suprà: quædam tangunt, & de his loquamur: ista dicuntur instrumenta ad seruanda medicamenta supra vulnus: à Græcis dicuntur mota, vel motaria, vel tilmata vel til matia, vel splines vel splinia: his vocibus donantur à Paulo, Gal. & Hipp. à Latinis linamenta dicuntur ratione lini, penniculi vel pennicilli, turundæ, plagulæ, & splenia, à barbaris nostris tentę, hasteolæ, lichnia vel lichnes, quasi licinia; ista sunt corpora texta vel ex stuppa, vel ex filamentis, vel ex lana, vel ex gossipio, & huiusmodi, quibus vtimur ad hunc vsum; & stuppa vel est canabina, vel linea. Sed aduertatis vt sint stuppæ integrę: nam ego obseruaui dum stuppam imposui, vbi mures nidificarunt, quòd tãta facta fuit attractio, vt miratus sim, stercora enim soricum nimis attrahentia sunt, & lotium similiter; itaque electa & integra assumatur; præterea in his solent esse festucæ pungentes, remouete has, sunt enim diabolicæ: habemus lanam qua Antiqui vtebantur. Tertia materia habetur ex gossipio, bombace, coctone. Habemus linteum lineum attritum, quod excerpere solemus, & diuidere stamen à subtegmine, ac ex his solemus facere lina menta. Vltimò habemus spongiam, qua vtimur solùm in vno casu, quando volumus vt madeat vulnus aliquo liquore; sed in reliquis nul lus est vsus: Antiqui linamenta solebant ex hac conficere. Nos vtimur, quum fistulam & ulcus dilatare volumus; at non in vulneribus. Sed qua figura fiunt linamenta? Ex eadem materia omnia fiunt: differunt tantùm figura. Aliqua sunt quæ oliuarum figuram tantùm habent, & ista propriè linamenta, turundæ & pennicilli vocantur: qua retione? quia præter id quòd constant ex materia molli, habẽt pennicilli similitudinem, quo vtuntur pictores, & motaria dicuntur à Græcis. Si fuerint textura lata & oblonga habentia similitudinem cum liene animalium, ab ista similitudine splines vel splinia vocantur apud Græcos: sed ista sunt trium generum, aliquot parua, quæ cum vnguento ponuntur in vulneribus: aliquot magna, quæ solent obuolui artubus loco fasciarum. Tertiò sunt linteola lata, quæ ponuntur extra vulnera, & hoc apud Gal. & Hipp. dicitur linteum latius. Quum medicamur, primò petiam magnam paramus, quam vnguento replemus, & figuram habet oualem: postea paramus hasteolas paruas, quas vngimus medicamento: vltimò paramus pennicillos quosdam paruos, veluti oliuas & nucleos. Primum est splenium Hipp. præterea nos accipimus linteum magnum, & triplicamus, & si vnum non sufficit, duo & tria imponimus, vt æquetur membro, & illa lintea vocantur splenia, quibus cauitates partium explemus. Aliquando addimus

mus figuram longiorem & limnifcos,& licinia appellamus. Præterea linamentum paramus claui figura; iftam etiam tentam appellant Recentiores: linamentum in longitudinem implicitum vocat Celfus.Hæc linamenta funt ad conferuanda medicamenta, ad detergendam faniem, ad fiftendum fanguinem, &c.

*De medicamentis farcoticis fimplicibus. Cap. LXVII.*



Duertatis, quòd quum manent linamenta per fpatium vigintiquatuor horarum, contrahuntur & dolorem faciunt: intereà habete vinum aufterum, rubrum,æftate frigidum,hyeme calidum,& infundite. Hoc habito videbitis an coctum fit, an crudum vulnus: quum rubro colore infecta erit caro; fi erit os fubiectum,videbitis an candidum,an fubrubens:& linamentum paucifsimo,& albo erit infectum pure, tunc vulnus eft coctum. Si nigra caro, pallefcens os, & carnes neruofæ non candidæ, crudum erit. Si vulnus coctum eft,opus eft vt expleamus carne: ad quod duobus opus eft,quę Medicus nō poteft efficere: primum eft materia ex qua: fecundum eft caufa efficiens carnem:materia ifta fanguis eft,qui quidem opus eft vt habeat commodè proportionem cum parte. Si neruofa pars, frigidior & ficcior & crafsior fit fanguis: fi carnofa, calidus & humidus: fi paucus fanguis non oportuna quantitas gignitur: tanta ergo fit, quanta neceffaria eft. Præterea qualitas fanguinis obferuanda:natura moderatur materiam iftam, fi eam Medicus moderatur,id autem efficitur fi victus nec plenus, nec tenuifsimus ordinetur: pariter habeatur ratio & euacuationis, & in fumma omnes res non naturales rectè inftituantur. Caufa efficiens etiam obferuanda eft, & eft temperies partium, & hæc feruantur conferuatione uniuerfi habitus:& hoc dictum eft quomodo per fectam venam,& pharmacum, & ambientem fit tractandum. Pręterea conferuandus habitus ficcus partium: & hoc fiet per medicamenta ficcantia. Verùm non fatis eft,ut medicamentum fit ficcans; fed illud memorandum Gal. ubi dicebat,quòd illud idem fit in generatione iftius carnis, quod in nutritione corporis;in quo duplex oritur excremētum: alterū tenue, quod exhalare folet per poros infenfibiliter, & aliquādo in fudorem uertitur,& apparet:alterum excrementum craffum eft, & dicitur fordes,quod manifeftè apparet:ita in generatione carnis,qua uulnus explemus duplex eft excrementum;& hoc alterum erit,quod ichora,fa- 3.meth. 3.

nicm

niem uocant,& hæc eſt ſubſtantia humida tenuis: & hoc indicat carnem mollem pręter modum generari; ideo oportet, ut ſiccetur, ſi uolumus ſolidam carnem. Alterum excrementum eſt craſſum, tenax, uiſcidum: quod cùm lene eſt æquale, & moderata habet omnia, pus dicitur: ſed quum nimis tenax, & uiſcidum eſt dicitur ſordes. Aliquando creſcit hoc excrementum, & ita hæret, ut impediat generationem carnis; unde ſordes congenita ſolet dici; quia eſt ueluti candida caro, quæ concreſcit cum uulneribus, ideo ſenſim & ſenſim à uulnere remouenda. Primò ergo medicamenta ſiccantia adhibenda ſunt: ſecundò ſiccantia ichorem, tertiò habeamus medicamenta detergentia: hoc autem fit à Medico, gosſipio, linteolo appoſito comprimendo, uel lana, ichorem remouendo, & detergendo ſordem: à medicamento id etiam præſtatur, ſi fuerit ſiccans, & detergens: explendum ergo uulnus concoctum, & hoc per generationem carnis, in qua natura, temperies debet ſeruari, ideſt ſiccitas: ergo medicamentum ſiccans
1. meth. 12. debet eſſe, atque detergens. Vnde Gal. medicamentum detergẽs debet eſſe facultatis ſiccantis, & tenuitate penetret, & qualitate ſiccante disſipet quod glutinet partes: nam omne, quod copulatur, humiditate copulatur: humiditate enim diſſoluta diſſoluitur compactio, & fit ſeparatio. Hæc facultas dicitur deterſoria. Vnde habemus detergẽtia calida, & frigida. Frigida tenuitate, & ſiccitate detergunt: calida ſimiliter; ſed maior fit deterſio ob caliditatẽ. Ex quo colligatis medicamentum ſarcoticum eſſe ſiccans, unum componens, alterum disſipans, & detergens. Sed cùm medicamenta ſiccantia aliqua mordacia ſint, aliqua non: hæc uel calida erunt, uel frigida. exempli gratia, detergit cum morſu, & frigidum eſt acetum, ſuccus uuæ immaturæ, ſuccus mali punici acidi, ſuccus herbæ trinitatis, & acetoſellæ. Idem dico de ſucco narancij, & citrij mali, quæ frigida ſunt, & detergunt cum mordicatione. Iſta inoportuna ſunt; quia mordicant & dolorem faciunt; quoniam etiam ſolent colliquare carnes: nam omnis mordicatio fit uel ratione caliditatis, uel qualitatis terreſtris, uel ab humiditate penetrante ad profundum, & generante dolorem. Sint igitur ſarcotica uera, quæ faciunt ſine dolore, & mordicatione. Quomodo erit agendum hoc? Confugite ad præceptum Gal. in 2. & 3. & 4. meth. ubi dicit, quòd ablutio aufert mordicationem: ſi erit materia, quæ nõ poteſt ablui, accipite aquam, uel ſuccum, quo uultis uti, & concoquatis ad conſumptionem medietatis; quia partes mordicantes abſumuntur: ablutione ergo, & concoctione aufertur morſus. Sed quũ metallica medicamenta accipimus, aceto diſsoluimus:

acetum

acetum autem mordax est? Dico quòd Galenus non utitur aceto primò & per se ad morsum tollendum; sed facit hoc ut acetum magis attenuet medicamentum sub diebus canicularibus. Sed postea aqua uel uino sunt abluenda medicaměta;aceto attenuatur, & præparatur materia tantùm: aqua uel uino aufertur mordacitas. Et obseruate, quòd in uulnere explendo requiritur conseruatio habitus, qui est in siccitate: at magna exiccatio non requiritur. Cæterum in illis, qui habitum mollem habent sarcoticis utimur medicamentis, quæ sunt primi gradus sicca. Quoties puer usque,ad 14. annum uulneratur utemur siccis in primo gradu,in quo est intensum,medium, & remissum;& ideò obseruate proportionem in hoc etiam. Si erit habitus siccus; siccitas medicamenti erit secundi gradus. Et quoniam in istis datur magis,& minus,ideo utemur aliquando Medicamentis siccis in 2.gradu in principio,uel in fine, uel in medio. Triplex ergo est medicamentum siccum ex 3.meth.cap.3. primũ est in primo gradu:secundum in fine primi,& principio secundi:tertium in secundo. Sed oportet uidere quomodo ex medicamento non sarcotico faciemus sarcoticum:si habetis siccum in tertio,uel quarto gradu,& uultis facere in primo,uel secundo: affert exemplum de flore æris Gal. si habetis ærugineem, & uultis mederi puellæ, hoc medicamentum detergit cum maximo dolore:ego minimam quantitatem capio, si nõ sum in diebus canicularibus,ut: abluãs accipio ceram, & oleum,semper enim quum foris sumus, oleum habemus: ut v. g. accipiam olei unc.j.cerę unc.s.& reperio ferrũ rubiginosum,uel derado uas ęneũ: si erit corpus durum maiorem capiam quantitatem, ut appareat rubigo;si durissimum,adhuc maiorem,ut appareat corpus: minimam in mollibus corporibus,ita ut non appareat. Ordines medicamětorum à Gal.propositorum hi sunt:primum locum obtinet thus,farina hordei,fabarum,& zeæ utriusque,uel farri: ista habent uim siccandi in primo gradu:addite loměta istorum omnium uel fabarum, uel zeæ, uel hordei,hoc est furfuræ: detergunt enim & siccant sine mordacitate. Secundum locum tenet resina tereb. laric. abiet. & gummi elimi,mel coctum,& despumatum,syr.ros.recens,mel ros. & mel uiol. farinam hordei addamus,farinam cicer.lolij,quæ siccant in secundo incipiěte:addatis metallica, spodium lotum,lithar. lotum, sandicem lotam, quam minium appellamus; plumbum ustum lotum & similia,quæ habent uim siccandi in secundo sine mordicatione: sed quæ sunt sarcotica primi sine ablutione in secundo gradu, si abluantur, fient sarcotica primi gradus. Tertium genus est farina orobi amari,

farina lupini, puluis iridis, omnis aristol. puluis opopan. myrrhæ. sarcoc. mel. crudum &c. Quæ habent uim maiorem exiccandi: sed si abluetis facietis secundi generis. Hæc sunt sarcotica simplicia in primo ordine pro mollibus, in secundo pro medijs, in tertio pro crassioribus. Et quod de toto dictum est, intelligendum est de particulis: neruosæ inter crassiores, carnosę inter mediocres, quæ in genis inter molliores collocandæ sunt.

## *De sarcoticis compositis.* *Cap. LXVIII.*



Sed composita medicamenta triplicia sunt: primum est basilicon minus. & dicitur minus respectu compositionis cuiusdam, in qua continentur, in quo pro pice sicca admiscent pyssasphaltum: sed hoc non faciatis, potius apponito colofoniam. secundum est tetrapharmacum basilicum traditum à Paul. & reliquis Græcis, & præstans est sarcoticum primi ordinis. tertium est resinum uocatum medicamentum, quod ex pura resina, pini, oleo, & cera fit, quod in tenerrimis habet uim siccandi: si autem uos componere uolueritis facite sic, Primũ erit sarcoticum primi generis, quod digestiuum uocatur. & accipiũt resinam uel laricinã, uel abietinam, primam terebentinam, secundam oleum abietinum uocant. accipiunt unciam de uno ex his; postea abluunt aqua aut betonicæ, aut communi, addunt integrum uitellum oui, & constituũt digestiuum, in primo genere sarcoticorum: aliqui addunt oleum rosatum: quod non probo, quoniam medicamentum illud sordem nutrit, & constipat, non detergit. Aliud est in usu, ut accipiamus unciam eiusdem, & abluamus; postea addamus thuris, uel masticis, & farinæ hordei ana drach. s. uel loco far. hordei, farinæ fabarum, uel zeæ; & illa quæ numerata sunt à me inter simplicia primi gradus, quibus utemur in partibus, & corporibus humidioribus. Composita secundi generis sunt, ungu. basilicum maius, quod recipit myrrham, aloem & quædam quæ detergens efficiunt medicamentum: & non faciatis pyssasphaltum miscere; sed, si non habent picem, colofoniam, uel masticem imponant. Aliud est medicamentum, quod matrisylua uocatur: cuius descriptio non inuenitur bona. Notate eam, quoniam multos fallit. recipit fol. matrisylu. puleriz. betonicę pulu. ana unc. viij. olei rosf. comp. unc. xx. terebent. resin. pin. ceræ nouæ ana unc. x. gummi elimi unc. iiij. uini nigri dulcis, & potentis lib. 12. miscentur: bulliant

liant ad ignem ad consumptionem uini: coletur medicamentum ad aquam frigidam;&,quum cõcreuerit,seruato. Hoc est medicamentum in uulneribus capitis præstantissimum.si uultis ut crescat caro, detergit, & siccat moderatissimè, & fouet partes neruosas, ita ego utor hoc quando est crescẽda caro; in partes neruosas. Aliud est ungu.de gum.elimi Conciliatoris,& Conciliator docet. Addimus ceratum rosaceum, & camomillinum:quod præstantissimum est. Potestis uos etiam componere medicamenta secundi generis hoc modo.Recip.tereb.unc.j.syrupi rosati recentis drach. ij.uel loco eius mellis ros.drach.j. farinę orobi scrup. ij. myrrhæ, aloes, thuris ana scrup.j.miscẽtur hęc.Vos dũ recolitis memoria simplicia dicta in secũdo genere, potestis conficere.Tertii generis nõ habemus in officinis nisi ung. isidis,empl.ex gum.elimi pro robustissimis corporibus. reperitur etiam in officinis abstersiuum medicamentum, quod in mollibus consumit carnem in durioribus generat.Sed uos hoc modo cõponere potestis: Recipe tereb.unc.j.mell.ros.drach. iiij. pulu. iridis,opop. aristolo.rotund. ana scrup.j.thuris, aloes ana drach.s. misce pro medicamento. Sed notate unum, ut habeatis normam componendorum istorum medicamentorum: quoniam aliquando mollia,aliquando dura fiunt. Quum uultis miscere pulueres cum tereb. satis erit drachma pulueris pro uncia terebent. si autem admiscetis portiunculam mellis, uel alterius liquoris: pro uncia liquoris addite uel scrupulum,uel drachmam pulueris, ut si terebentinæ addidi duas drachmas liquoris addam scrupulum unum pulueris supra drachmam:& sic semper erit benè mixtum cũ tereb. medicamentũ: sin minus semper in fundo aliquid residebit. His factis imbuemus linamenta,uel splenia,& ita explebimus uulnus.


*Quid imponendum supra splenia replentia uulnus.* *Cap. LXIX.*



Portet etiam aduertere, ut seruentur hæc splenia in loco:& hoc duobus modis fit, uel splenio maiori addito imbuto medicamẽto,uel fascia. Vtrunque hoc ego facio: sed illud medicamentum cuius est generis,quo detinetur splenium? Paul.dicit esse,quod habet tenacitatem moderatam.Sed cuius temperaturæ?ut habeat rationem adiacentiæ.Hæc ratio est, ut habeat uim mitigandi doloris,impediendæ inflammationis erisipel. &, si adsit, repellendæ: ideo non est oportunum imponere sarcoticum medica-

nentum illo excepto, quod albo oui, & terebentina fit: unde nos so emus uti medicamento consueto in officinis, quod magistrale dicitur: aliud simplex linimētum uocatur: tertium est ungu. de tutia ma jistrale. Quartum diapalma, uel mixtum cum linimento simplici, uel um cerato mirtino, uel rosaceo. Sed si hæc non habemus, sumimus tinum austerum cum oleo rosac. & ita uincimus postea fascia malente uino hoc, & oleo. Si copiosa sanies bis in die aperimus, præertim in æstate, non urgente sanie & calore, semel. æstate uerò frigida imponatis, hyeme calida respectiuè. Sed in cerebro non affectatur tanta frigiditas.

## *De carne supercrescente vulneribus.* Cap. LXX.



Ed solet accidere, vt caro nimis crescat. In eo casu hoc fit, quia non commoderata est materia sanguinea: subtrahenda igitur sunt alimenta per frictiones & vincula ad oppositas partes; præterea frigida sunt imponenda: sed si hoc non sufficit, comminuite, vel forcipe vel gladiolo: potest autem id comodè prestari, quia non sentit exquisitè caro illa: alia ratio est, vt fricet linteolo asperiori carnē illam, & efficiat vt effluat sanguis copiosus, sic enim siccatur pars, & retrahitur: possumus etiam facere hoc medicamento, quum dicta non potest patiens perpeti: hæc moderata ebent esse non excitantia dolorem: & sunt linamēta sicca: si non suc edunt sumimus alumen rochæ combustum; & hoc ita familiare est, t statim Medici recurrant. Habemus emplastrū itidis. Quartò accipimus paruam quantitatem nitri exusti, qui comminuit sine dolore nirabiliter. Est etiam vngu. apost. vnguentum viride Damas. quia uic addimus æruginem æris. Præterea squama eris preparata, precipitatum, erugo æris lota. Sed ego habeo aliud medicamentum: soeo accipere vnguentum Aegyptiacum, & tempero. Accipite huius olei rosf. cum pl. cere lutee ana miscentur ad ignem, & vtimini feliciter: & si nimis crescit adhuc, confugite ad Tractatum de Vlceribus, anno superiori declaratum, capite de Vlceribus supercrescentibus nimis, vbi diximus multa.

**De cicatrice. Cap. LXXI.**



Vm repletum fuerit vulnus carne, tunc cicatrice obducendum est. Sed ante cicatricem noteтis vt caro illa quę continetur in vulneribus, non sit absolutè ęqualis cuti; quoniam cùm siccaretur, caua fieret: oportet ergo, vt parùm excedat: nam ea ratione fit cicatrix, quę est ęqualis ex toto. Secundò notandum quòd in omnibus partibus, in quibus os vulneratur subiectum, ex quibus particula ossis discedit, fit caua cicatrix; ideo non est statim deueniendum ad vsum eorum, quę faciunt cicatricem, quoniam opus est vt diu imponatur medicamẽta sarcotica, vt caro solida fiat. Et ideo moneatis ægros, ne stimulent Medicum, vt statim cicatrice obducat; quia caua fieret & insanabilis. Hoc ita constituto gignenda cicatrix, quę est callosum quid, quod nascitur in extrema vulneris parte loco cutis; quoniam cutis cùm sit pars spermatica generata in vtero non potest regenerari: sed cicatrix à Gal. vocatur cutis, impropriè tamen; quoniam similitudinem cum cute habet, fit tamen ex carne: nam sicut caro ex natura sanguine concreto formatur, sic ex spissata carne superficiali formatur cicatrix: ideo causa materialis cicatricis caro est. Causa autem efficiens quę? Respondet Gal. quòd sunt medicamenta imposita à Medico, & illa quę epulotica, cicatrizantia vocantur: vlli enim cicatrix dicitur, & omnes qui scripserunt de his medicamentis consentiunt cum Gal. sed ego habeo in quo dissentiam, quoniam non solùm medicamentum est causa cicatricis, sed etiam aliud. Et videte, habeo primùm exempla multorum, in quibus video vulnera magna per se sanata. In brutis quęro à quo fiat cicatrix? Videte canes vulneratos à laniis, & sanatos per se, & cicatricem habentes: habent ne à medicamentis? non. Præterea in pueru lis habentibus vlcera magna in capite id manifestum est: quia sanantur & cicatricem habent sine medicamento. Pręterea sanantes oleo & aqua, cicatricem inducunt: hęc autem non fit oleo & aqua; natura ergo sanauit, natura cicatricem fecit. Præterea ego video vlcus magnum, quod expletur carne, & postea incipit obduci cicatrice, & tamen non concrescit cicatrix in toto vulnere, sed incipit in margine, non in toto, seu in medio, & sensim & sensim crescit: si medicamẽtum id pręstat, cùm medicamentum sit in medio, cur nõ crescit in medio? Ergo id non est causa tantùm. Pręterea video esse carnem exiccatam & similem cuti, ideo dico quòd cutis naturalis insita nostro

5. de fac. nat. 16.

3. meth. 5.

corpori

corpori est causa efficiens cicatricē: & semper videtis cicatricem incipere circa cutim. His rationibus credo non solùm medicamentum facere ad cicatricē, medicamentum enim potest siccare carnem, sed non potest facere similem cuti carnem, ergo aliquid aliud requiritur pręter siccationem; sed, vti medicamentum potest siccare sanguinem, vt natura faciat carnem, ita potest siccare carnem, vt fiat cicatrix à natura.

### *De medicamentis epuloticis.* *Cap.* LXXII.



Væ autem sunt medicamenta iuuantia, vt citò faciat natura cicatricem? Sunt siccantia: & quoniam siccanda est caro, non solùm ab humiditate extranea, sed propria insita, ideo requiritur, vt medicamenta sint valdè siccantia: aliud requiritur, quoniam si flueret sanguis copiosus ad locum, gigneretur caro: ideo oportet vt medicamenta habeant vim astringētem, ne fluat sanguis. Gradus adstrictionis debet esse validus, vt lingua & palato sentiatur. Gradus autem siccitatis sit vsque ad tertium intensum: itaque maxima siccitas in hoc medicamēto erit ad tertium: sed non omnibus corporibus competit. Pro mollioribus sit in secundo gradu: vnde valida medicamenta agglutinatoria, quę sunt sicca in secundo gradu sunt leuia epulotica: illa autem quę sunt sicca in tertio cum adstrictione sunt epulotica in corporibus siccioribus. Notate tamen vnum, vt ista adstringentia vel siccantia exuta sint à mordacitate, vt non absumant carnem: & ita si sunt acria, vel erunt vrēda vel abluenda, vel ponenda in quantitate minima: & quamuis dixerim duos esse gradus, nos tamen solemus distinguere in tres classes, vti distinximus sarcotica. Primus igitur ordo epuloticorum constat simplicibus medicamētis, & est aloes, cortex thuris, cortex pini, cyperi radix cadmia optimè lota, quę tutia Alexandrina in officinis dicitur: plumbum vstum, & lotum, cinis ostrearum lotus; ista primum habent locum in mollibus corporibus: in secundo gradu & genere sunt gallę immaturę, malicorium, flores granatorum syluestrium, id est balaustia, citini, sumach, mirobalani citrini, myrtilli, sanguis draconis in lachryma, & rubrica ipsa vel sinopica, vel fabrilis. Sinopicā appellamus bolum Orientalem, fabrilē bolum armenicū. terra sigillata. In tertio gradu habemus ęs vstum præparatum, squamam æris præparatam, mysi, sori, calcitim, alumen scissile, & similia, quæ sunt potentissima in

in quibus notate contradictionem Gal. & Aetij; dicit.n. Aet. q̃ mysi, & calcitis, & alumen sunt potentia epulotica, æs aũt vstum est potentius, squama potentissima: itaq; in hoc tertio gradu tres species habemus. Gal. aũt dicit, Potens est squama, potentius æs vstum, vltimò potentissima sunt mysi, calcitis & squama. Non potui videre codicem Græcũ Aetij; quoniam non est impressus in secunda parte. Si ita se habet Græcus vt Latinus; nisi referamus de vehementia medicamenti alterum, & alterum de præstantia inducendę cicatricis, non solui posset, ita vt Gal. de vehemẽtia intellexerit, quia illa tria vltima validissimè excedũt, non de valore inducendæ cicatricis. Interpretor locũ Aetij de præstantia inducẽdæ cicatricis; quoniã calcitis non est ita oportunum medicamentum: si enim medicus fallat, excedet & erodet: præstantissima est squama æris; quia, licèt Medicus fallat, non excedet, inducetque cicatricem. Habemus cõposita in officinis trium generum; pro mollissimis vng. de minio, ceratum de minio, diapon pholig. primum Aetij, in secundo ordine sunt diapalma vocatum, diaponpholig. oribasij, de quo Aetius ibidem: vng. de tutia magistrale, quod pulcherrimum est. Compositio talis sit, Recip. ol. ros. & omphacini ana vnc. vj. olei mirtini, vng. popul. ana vnc. iij. foliorum plantag. solani hortensis ana man. ij. inciduntur herbæ virentes minutim & miscentur prædictis per spatium octo dierum, & continuò agitatur mixtio, vt folia macerentur; colatur, & exprimitur. posteà olea expressa ponuntur ad ignem: additur ceræ albæ vnc. iij. posteà aufertur medicamentum ab igne; & quum incipit tepescere addimus lithar. aurei vnc. vj. tutiæ Alex. præpar. drag. ij. cerusſ. vnc. ij. plummi rubei vsti drag. vj. camphoræ drag. j. Hæc simul miscentur, & collocantur in mortario plumbeo, & diducuntur per duas horas. Vltimi generis composita sunt, ceratum de bolo armena, vng. de tutia magistrale addita squama æris, vel ære vsto: vt singula vncia vnguenti habeat semidrachmam æris. Prætereà legite Aetium, apud quem infinita epulotica reperietis. Apud Paulum lib. 4. cap. 45. habetis pulueres infinitos, & composita magna: & ego vtor pulueribus, vt est squama sicca æris bene lota, squama ferri optimè emollita: vtor minima quantitate præcipitati, & præstantissima est materia: soleo etiã componere. Vltimò ablutionibus soleo tentare: & ideo accipio simplicia dicta, & coquo in vino austero; &, si volo robustius in acerbo, & madefacio, & accipio spongiolam, vel abluam cicatricem huiusmodi decocto.

Lib. 14. c. 37.
3. meth. 5.
15. cap. 36.
4. lib. cap. 38 & 39.

*De symptomatibus vulneribus superuenientibus, & primùm de animi defectu. Cap. LXXIII.*



INter proposita capita in sanandis vulneribus sextum erat de symptomatibus superuenientibus. Primum autem est conuulsio neruorum ex punctura, vel incisione. Secundum resolutio, ita vt paralysis adueniat. Tertium est defectus animi, quod frequens est & graue, & molestum. Quartò est febris. Quintò est liuor, durities, atque ariditas vulnerum, quæ cruditatis nomine cōtinentur: dolor adiungitur, qui intollerabilis suboritur: solent etiam partes inflãmationes & erysipeleta, gangrenas & œdemata pati: addatis malam carnem concretam. Vltimò quæcunque mala intemperies solet prouenire, aut humida, aut calida, aut frigida vulneribus superuenit. De spasmo, conuulsione, & paralysi non loquor: erit enim locus oportunissimus in libr. Hippocratis, de Vulneribus. Loquamur de animi defectu, qui lypotimia à Gal. vel eclisis vocatur. Vocatur etiam lypopsichia hoc est defectus animi 12. meth. cap. 5. est autem defectus animi spirituum animalium resolutio momentanea, uel corruptio in propria substantia ab habitu quodam uenenoso, cum corrumpantur, dissipanturue spiritus, ad quam succedit cōcentratio caloris ad quam concentrationem sensus exteriores nihil fermè agant. quæ solet superuenire pluribus de causis, ut habemus ex Gal. locis dictis & primùm ex mœrore, & tristitia animi quoties vulneratus non vulnerauit vulnerantem, & conspicit vulnus suum magnum: secunda causa est ex maxima fluxione sanguinis, qua resoluuntur spiritus. tertia ex resolutione facta spirituum in dimicatione: nam, inquit Gal. quòd qui pugnant ita incalescunt, & fatigantur, ita concitantur in iram, ut cadant. quartò superuenit defectus ex venenata qualitate impressa vulneri: sæpe uidebitis in uenenatis sagittis accidere defectum animi. Vltimò, dolore superueniente dissipantur spiritus, & à dissipatione illa succedit defectus animi. Probus Medicus debet habere hæc duo, uel ut impediat ne defectus ueniat, uèl si venerit, ut propellat, nam hic defectus ita labefactat uires, ut multa impedimēta afferat ad sanãda vulnera. Quomodo faciet? primò ut semper secura facie pronuntietis nullum esse morbū: multi faciunt morbos maioris quàm sint momenti, & malè faciunt: semper ergo debet propalare morbum nullius esse momenti. Ego uidi exemplum in quodam his diebus cum dixerim uulnerato ægro aduer


1. ad Glauc. cap. 14.

aduersarii vulnus esse minimum, concidit animo statim : aggrauat e ergo vulnus aduersarii, & dicite non esse periculum mortis, nam sæpenumerò timent sibi à prætoribus; & magistratibus: dicite ergo magna vulnera, sed non lethalia. Secundò si aduocamini magno uulneri, debetis comprimere uulnus, non sinere, ut egrediatur sanguis imponendo manum, tangatis pulsum, interrogetis an multum sanguinis exierit: si uidetis bonum colorem, facite ut fluat sanguis: tertiò obseruandum, ut interrogetis an vulneratus defatigatus sit in pugnando, nam si consuetis, & deligabitis expectate deliquium animi si ergo eius uires dissolutas uidebitis primùm suppresso sanguine curabitis, ut habeat uino infusum panem, & bibat: prætereà est mos malus, ut in sectione uenæ sedeat æger: facite, ut semper decumbat nam secus deficiet animus: imposibile est, ut dum uidet æger propria vulnera, non deficiat animo: semper iubete ut nunquam rectus uel sedens maneat. Quartò, si dubitatis de infecta sagitta, statim tētate succionem ueneni; & mandate, ut accipiant salem, rutam, & caricam & comedat, uel salem cum pane, uel rutam per se, & caricam, deinde bibat ciathum uini, ac apponat oleum ori, & abluat, post fugat uenenosam qualitatem, & hic sit minister : uel facite ut imponatur cucurbita, sed hoc dicam postea. Quintò, si uidetis dolorem magnum recurretis ad illa imponenda, quæ faciunt ad sedationem doloris quæ iamiam dicam. Sed, si deliquium animi succedit excitate sensus exteriores: à uiolento, & rubustissimo obiecto hoc fiet: & sunt uehementissima calida, & frigida, compresiones, deligationes, punturæ, ustiones, & cætera, quæ faciunt dolorem absque solutione continui: sed aduertamus ne sint uiolenta hæc, & addamus morbum morbo. Vsus communis est aquæ, quoniam est obiectum dolorificū tunc temporis, & ita excitat sensus exteriores. Galenus ligabat, & imponebat uincula: ligantur extremi digiti. Sed nota, si vulnera sint in partibus inferioribus ligemus partes superiores, & econtrà: quoniam non solùm oportet excitare ægrum. Sed non facere attractionem ad partem vulneratam. Secundò, quoniam in deliquio concentrato calore fit magnus feruor circa thoracem, oportet, ut arteriæ capiant aerem, ideo necesse est, ut sint in aere frigidiori, ut sint dissoluti, & aperiendi thoraces, & uestes, ut copiosus aer attrahatur per pulmoues, & refrigeret spiritus concentratos. Prætereà iuuantur per restitutionem spirituum, & hoc ab odoratis. Accipimus odorata; quæ potius sint frigida, quàm calida, & misceatur acetum, ut facilius penetrent ad cerebrum, hoc faciendum in deliquio animi ue

neno frequentius. Sed, si vulneratur caput, statim eructat ab ore: quum hoc est, erit deliquium animi, cuius causa uentriculus est; quia prauis onustus est humoribus, tunc temporis accipimus pennam, & imbuimus aceto, & ori imponimus, ut excitemus uomitum. De febre remitto uos ad Practicos ordinarios. Sed dico unum chirurgicum: sæpe enim cruda sunt vulnera. Vos cognoscetis coctũ ubi adsit candidum, & bonum pus, sin contrà reperietis liuorem, nigredinem, ariditatem, ut nulla sit humiditas, & duritiem, erit vulnus crudum: aut, quia in corpore vulnerante fuerit uis contundens, ut partes sint contusæ, totum contusum est crudum priuatum anima: aut crudescũt frigiditate ambientis, aut ratione impositi medicamẽti aquæ frigidæ, boli arm. &c. Tertiò crudescunt ob nimiã compressionem: solent ita arctè stringere, ut repellant calorem naturalem, & sic crudescunt partes. Quũ est hoc confugimus ad Hipp. in lib. de Vlcer. qui proponit medicamenta concoquentia. Primum locum habet digestiuum commune, quod constat ex tereb. oui luteo & ol. ros. uel ex ol. amigd. dulcium admixto tereb. & uitello oui. uel, si uolumus calidum, oleo camomillino admixto tereb. & ol. ros. uel cum butyro, & uitello oui, uel cum oleo communi, & cera: uel tetrapharmaco Pauli uocato: quod describitur à Paulo lib. 7. & à Celso lib. 5. sed admiscete partẽ olei amigd. dulciũ: sed si quærimus cõctionẽ, oportet facere crassa emplastra. Materia istorũ est maluarũ folia, alteę, & maluarũ radices: farina triticea, uel medulla panis, & similia generãt pus: ex istis, & oleo, & axungia cõficiemus cataplasmata. Sed nota, ꝙ non debemus replere vulnera his cataplasmatibus; quoniã impediunt effluxionem saniei: imponite suprà: explete uulnus linamentis, uel siccis, uel dictis medicamentis, & circum circa imponite hæc emplastra: sed si uultis, imponite emplastrum officinarum diachilon dictum simplex. Diachilonon magnum, quæ cerota apud officinas dicuntur. Addite diachilon cum gummis: & ita procedetis donec uidebitis quòd vulnus incipit esse rubrum: dum hoc uidebitis, recurretis ad sarcotica medicamenta, & generantia carnem.

De

## De dolore mitigando in uulneribus. Cap. LXXIIII.



Nter symptomata, quæ solent uulneribus superuenire præcipuus est dolor: quoniam deliquii, inflammationis, & erysip. est causa: uigilias & incommoda magna inducit, quare, quum superuenit, uidendum est, qua causa ueniat: dolor autem fit ab intemperie excedente, aut solutione continui, aut occulta uenenosa qualitate, aut à corpore infixo præter naturam. Vidēdū igitur qua de causa fiat dolor, & si ob nimiam caliditatem, uel frigiditatem fit, tunc per qualitates oppositas curabitis. Si frgiditas sit fouebitis decocto dulcis uini, in quo decocta sint semina anisi, &c. uel oleo liliorum alb. uel oleo camom. uel oleo anetino calefacto per spongiam. Si sit intemperies calida, decoctis frigidis fouebitis aut ex rosa, aut ex nenuf. uel ex uiolis madefaciendo linteolos, uel aqua solani, uel uiolarum, &c. Si autem fiat ratione suturarum cō ꝙ suturæ comprimentes soluentes continuum excitent dolorem, sunt auferendæ, & tunc linteo duplicato, & calefacto debetis fouere uulnus: nam isto modo statim cessat dolor: si autem fuerit extranea substantia: exempli gratia spiculum, uel spina, extractioni incumbite, & docebo in inferioribus: docui etiam instrumenta: uel imponite medicamēta dicta extrahendi uim habentia: si autem uenenum adsit, extrahatur, uel suctu, uel cucurbitula, & de hoc tractaui anno superiori. Si uerò esset aliquod quod faciat solutionem continui, uerbi gratia materia, sanguis fluens, &c. debemus secare uenam statim; quia materiæ fluxus est causa doloris, si autem est quid prohibens sectionem uenę, exhibebimus pharmacū eius generis, cuius est humor. Pretereà fouebimus oleo ros. omphac. in quo cocti sint lumbrici terrestres; quia hoc facit ad dolorē, & fouendum locum: si aūt non detinetur sanguis, & dolor deueniemus ad frigida, ad oleum nenuf. papauer. Et poterimus oppii parùm addere, addendo musci parùm ad leniēdam frigiditatem oppii, & ut penetret facilius. Sunt aliqui qui accipiunt folia hiosciami albi, folia uiridia solani hortensis & obuoluunt simul, & faciunt fasciculum, & coquunt sub prunis, postea contundunt, & faciunt emplastrum, & imponunt vulneribus: uel accipiunt panem, lac, & oleum ros. & folia dicta, & faciunt emplastrum, & hæc superant omnia dicta ad leniendum dolorem. Sedatò dolore deueniemus ad dicta medicamenta.

## De inflammatione. Cap. LXXV.



Vum inflãmatio ſuccedit,debemus impedire materiã ſecta vena,& pharmaco emplaſtro ex lacte,pane, farina hordei, aqua & oleo roſ. hoc præſtantiſsimum eſt,repellit,lenit, contemperat, & omnia facit, quæ neceſſaria ſunt. Si autem non ſatis eſt hoc, poteſtis vti cum Hipp.lenticula paluſtri,quam cum vino coquatis, & addite roſaceum : præterea accipite auriculam muris vulgo paparina,loco lenticulę: vel accipiatis folia rubi canini, & coquatis :præterea admiſcete lenticulam ; & ita cum roſ.conficietis empl. præterea folia verbaſci ſylueſtris contuſa cruda imponetis : præterea folia trifolij, maluarum, altheęque ſimul commixta cruda ponatis. Vel recurratis ad ea, quæ explicata ſunt anno ſuperiori à me,c. de inflammat.


## De eriſipelate. Cap. LXXVI.



Vum ſuccedit eriſipelas, imponite hoc medicamentũ vulneri,Recip.tereb.decies ablutam aqua ſolani, admiſcebitis farinam hordei, & luteum oui, & habebitis medicamentum refrigerans. Si vultis, vt magis refrigeret,loco aquę ſolani abluite aqua papaueris, vel lactucæ. Circa partes circumpoſitas vngetis oleo nenufarino loto. Antequam fit oleum nenuf.abluatur oleũ, ſed,ſi non habetis,abluite factum,vel oleo violaceo abluto.Quomodo abluetis ? Accipite vnam partem oliorum, & duplum aquæ lactucę,aut ſolani,& ponatis in fiala,quam per horam contundetis & obuoluetis,oleum ſpiſſatur,& ſic penna illinietis partes,poſteà imponetis folia nenufarii vel ſolani,vel lactucę: vel poteritis recipere aquas ſolani, foliorum papau. violarum,lactucæ,& his madefacere linteola.Noſter Hipp.ſolebat imponere medicamentum,quod diſcuteret, & refrigeraret : & accipiebat farinam ſem.lini cum aqua ſolani. Accipietis etiã folia ſolani,glaſtri, folia plantag. ex quibus emplaſtrum fit, & imponitur. Soleo ego accipere farinam hordei, medullam panis, folia maluarum, ſolani, & oleum roſ. & aquã, & paro empl. & vtor felicifsimè.

De modo abluendi oleo.

### De intemperiebus. Cap. LXXVII.



I autem adsit intemperies calida, quæ impediat sanitatem vulneris: ea erunt imponenda quæ dixi in erisipelate. Si intẽperies frigida, hismet utimini, quibus in dolore, sedando. vel fusum Nicolai, vel vng. de matrisylua in tota parte dissolutum cũ oleo laurino, vel cum oleo de castoreo: istis oleis tantùm oleo lirino com. oleo lil. alb. compl. vel oleo de castoreo. Si erit intemperies sicca fouete hydrelæo: accipite aquam & oleum dulcissimũ ex oliuis, vel amygdalarum dulcium, calefaciatis, & linteo madefacto fouete, vel supra ollam conseruetur pars seruata, in qua bulliat hoc oleum.

### De œdemate & sanguinis fluxu. Cap. LXXVIII.



T si superuenerit œdema, madefacite spongias nouas, quæ sapiant salsuginem, & madefacite in posca oxicrato appellata. Si autem nimius fuerit fluxus sanguinis: hoc symptoma cruciat Medicos, & si Medicus non supprimit sanguinem aut grumus crescit, aut vita perditur: sed quia hic solet superuenire in arteriis & venis magnis incisis: ideo reseruo ego dum tractabo de vulneribus arteriarum, & venarum, quæ insignes sunt: ibidem ergo ad plenum tractabo.

### Epilogus omnium hactenus dictorum. Cap. LXXIX.



Vnc ergo patet quid sit solutio cõtinui, & species eius, & vulnus esse inter illas: quid sit vulnus, à quibus fiet, & quid præsagiẽdum à quolibet vulnere. Posteà habemus curationẽ simplicis vulneris, & etiam cum symptomatibus. Sed cùm hæc communiora sint à nobis dicta, ideo restat de particularibus tractare. Et quia Maiores nostri semper à superioribus incipere solent, ideo

ideo de vulneribus capitis, oculorum, nucæ & cæterorum solent initium sumere tractationis: & quia Hippoc.fecit aureum Tractatum de Vulneribus capitis, ideo ego primùm de iis agam, & interpretabor ea.

*Gabrielis Falloppij Tractatus de Vulneribus,*
*FINIS.*